MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80620-27

*AUTHOR:*

BRAUNE, THEODOR

*TITLE:*

OBSERVATIONES GRAMMATICAE ET CRITICAE...

*PLACE:*

BEROLINI

*DATE:*

1882

Master Negative #

92-80620-27

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

### Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books      FUL/BIB   NYCG92-B34290          Acquisitions     NYCG-PT
Record 1 of 0 - SAVE record
+
 ID:NYCG92-B34290            RTYP:a    ST:s    FRN:   MS:   EL:      AD:05-18-92
 CC:9668  BLT:am       DCF:?   CSC:?   MOD:     SNR:      ATC:       UD:05-18-92
 CP:gw      L:lat      INT:?   GPC:?   BIO:?    FIC:?     CON:???
 PC:s       PD:1882/           REP:?   CPI:?    FSI:?     ILC:????   II:?
 MMD:       OR:    POL:     DM:     RR:         COL:      EML:       GEN:   BSE:
 040      NNC‡cNNC
 100 1    Braune, Theodor.
 245 10   Observationes grammaticae et criticae ad usum ITA SIC TAM ADEO particu
          larum Plautinum ac Terentianum spectantes‡h[microform]‡cscripsit Theodor
          us Braune.
 260      Berolini,‡bapud S. Calvary et Socios,‡c1882.
 300      63 p.
 LDG      ORIG
 QD       05-18-92
```

Restrictions on Use:

---

### TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm    REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB



DATE FILMED: 4/12/93    INITIALS my

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



AIIM


**Association for Information and Image Management**
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202






Centimeter




Inches



# OBSERVATIONES GRAMMATICAE ET CRITICAE

## AD USUM

## ITA SIC TAM (TAMEN) ADEO

## PARTICULARUM

## PLAUTINUM AC TERENTIANUM

## SPECTANTES

SCRIPSIT

THEODORUS BRAUNE




BEROLINI

APUD S. CALVARY ET SOCIOS.

MDCCCLXXXII.

# OBSERVATIONES GRAMMATICAE ET CRITICAE
## AD USUM
# ITA SIC TAM (TAMEN) ADEO
## PARTICULARUM
# PLAUTINUM AC TERENTIANUM
## SPECTANTES

SCRIPSIT

THEODORUS BRAUNE




BEROLINI
APUD S. CALVARY ET SOCIOS.

MDCCCLXXXII.

Ad plenam cuiuslibet linguae cognitionem capiendam non satis esse formas ac leges quibus exculto iam atque perpolito sermone scriptores usi sint novisse, sed qua via ac ratione ad certas illas lingua formas legesque pervenerit indagandum esse nunc omnibus persuasum est. Itaque multi qui latinae linguae recte penitusque cognoscendae studerent ad antiquissima quae exstant litterarum monumenta confugerunt et syntacticae rei, metricae ac prosodiacae operam navaverunt. Atque mihi quidem cum animum induxissem in particularum *ita sic tam adeo* usum inquirere, quod persuasum habebam facillime fieri potuisse ut scribae librarii in libris exscribendis imprudentes et inviti aliam cum alia commutarent, ad priscos scriptores, inprimis Plautum et Terentium in ipso litterarum latinarum principio collocatos, redire operae pretium esse visum est, quia ex his potissimum cognosci posse putabam, quae fuerit initio cuique particulae provincia assignata et quatenus uniuscuiusque fines pateant.

Atque cum singularum vim ac rationem perspicerem ac persequerer et certas leges constituere studerem, in locos complures, qui in fabulis Plautinis Terentianisque et in priscorum scaenicorum poetarum reliquiis leguntur, incidi, ad quos nonnihil me conferre posse sperabam vel interpretando vel emendando. Quos quidem hac quam instituo disputatione tractare mihi liceat.

**Amph. 441** sq.

Certe edepol, quom illum contemplo et formam cognosco meam,
Quemadmodum ego sum (saepe in speculum inspexi): nimis similist mei.
Itidem habet petasum ac vestitum: tam consimilist atque ego.

Sura, pes, statura, tonsus, oculi, nasum, vel labra,
Malae, mentum, barba, collus: totus. quid verbis opust?
Si tergum cicatricosum, nihil hoc similist similius.

Multum iam de hoc loco disputatum est. Cum *atque*, quod in v. 443 invenitur, non ita accipi posset, ut praecedenti *tam* responderet, cuius quidem usus nullum exstat exemplum*), viri docti (Holtzius, Draegerus, Ussingius) in eam iverunt sententiam *atque* pendere ex *consimilis* adiectivo et verba: 'consimilis atque ego' idem valere atque 'consimilis mei'. Sed ne tum quidem quae leguntur ferri mihi posse videntur. Neque enim *tam* quod legitur sic intellegi potest, ut ad ea quae praecedunt spectet, cum nusquam apud scaenicos certe scriptores haec particula in epiphonemate posita inveniatur; nam in Bacch. v. 820, ubi codices exhibent: 'Terrae odium ambulat: iam nil sapit nec sentit' non esse causam putaverim, quam ob rem Scioppium et Ritschelium secuti *iam* in *tam* mutemus, cum 'iam nil sapit' verbis quae praecedunt: 'Quem di diligunt, adulescens moritur, dum valet sentit sapit. Hunc si ullus deus amaret, plus annis decem, plus iam viginti mortuom esse oportuit', opponantur et sensum aptum efficiant (cf. etiam Langen, Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus L. 80. p. 234. 235).

Ussingius *tam* ad sequentia referendum docet collato Amph. v. 959: 'Atque ita servom par videtur frugi sese instituere: proinde eri ut sint, ipse item sit'**). Sed ne hoc quidem satis placet, cum explicatio qua utitur: 'tam consimilis, ut pes etc. omnia nihil differre videantur', non congruat cum verbis quae leguntur. Necessarium mihi videtur in verbis 'sura, pes, statura etc.: totus', simul audire 'consimilis est'. Sed tum quae antea leguntur: 'tam consimilist atque ego', ad ea quae sequuntur referri nequeunt et inepte absurdeque sunt dicta. Quibus adducor, ut *ac* in *atque* mutato et *tam*, quod facillime ex duplici scriptura extremae syllabae *vestitum* vocis oriri potuit, deleto scribam:

'Itidem habet petasum átque vestitúm: consimilist átque ego.

Quae quidem lectio mihi et sensum aptissimum efficere videtur, cum gradatio in verbis 'nimis similist mei' (v. 442), 'consimilist' (v. 443), 'totus' (v. 445) insit optima, et minus violenta est quam Fuhrmanni (Jahrb. 1868 p. 845), qui scripsit: 'tam consimilist quam ego sum' (cf. Langen p. 296), aut Langenii: 'tam consimilist quam potest'.

*) In Bacch. v. 777: 'ni meum gnatum tam amem atque ei facta cupiam quae is velit', quem Holtzius (synt. I, 228) huc referri vult per *atque* duae conectuntur sententiae quarum altera ex priore consequitur. cf. Ballas, gramm. Plaut. I p. 48. Gryph. 68.

**) cf. quoque vv. Men. 94. 100sq. Mil. 1047. Ps. 881sq. Most. 146. Aul. prol. 9. 468. St. 525 etc.



**Amph. 450. 451.**

Quadrigas si nunc inscendas Iovis
Atque hinc fugias, ita vix poteris ecfugere infortunium.

Ussingius adnotat: 'Ne ita quidem, si Iovis equis, quibus nihil celerius cogitari potest, uteris'. *Ita* hoc loco id quod sententia condicionali dicitur uno quasi vocabulo eomprehendere atque repetere et idem fere valere videtur atque nostrum *so*, quo utimur in principio apodosis post sententias condicionales; cuius quidem usus praeter illum quem laudo versum quatuor iam apud priscos scriptores exstant exempla. *Ita* solum invenitur in Catonis or. rell. p. 58, 2. J: 'Quod si non conveniatis, cum convocari iubet, ita cupidus orationis conducat qui auscultet'; *ita vix*' interposito *tamen* vocabulo in Cist. v. I, 1, 30: 'Si idem imitemur, ita tamen vix vivimus cum invidia summa'; *ita non* in vv. Curc. 449sq.: 'Quia enim in cavea si forent conclussi —, ita non potuere uno anno circumirier', et Epid. 610sq.: 'Si undecim deos praeter sese secum adducat Iuppiter, ita non omnes ex cruciatu poterunt eximere Epidicum', ubi Luchsius (cf. Hermae vol. VI, p. 272), cum hunc particulae usum ignoraret, *tam* vel *tamen* pro *ita* non recte scribendum proposuit. Quibus cum locis haud scio an comparari possint quae apud Ovidium leguntur, trist. I, 2, 105: 'Si fuit hic animus nobis, ita parcite, Divi'.

Eadem fere ratione *ita* carptim usurpari videtur post enuntiata quibus *ut* correlativum praefixum est, velut in vv. Rud. 1104: 'Hasce ambas, ut dudum dixi, ita esse oportet

liberas'; Trin. 713: 'Si mihi uxor tua, ut ego aequom censeo, ita nuptum datur sine dote'; Men. 986: 'Postquam in tabernam vasa et servos conlocavi, ut iusserat, ita venio advorsum'.

**Amph. 633** sq.

Satin parva res est voluptatum in vita atque in aetate agunda,
Praequam quod molestumst? Ita quoique conparatumst in aetate hominum,
Ita dis est placitum, voluptatem ut maeror comes consequatur.

Sic libri manuscripti versus exhibent. Sed cum metrum in vv. 634. 635 non staret et versus et qui praecedit et qui sequuntur bacchiacos esse appareret, Hermannus vocem *conparatum* Reizium secutus ad calcem versus reiecit et in v. 635 '*conplacitum*' scripsit, quam quidem lectionem Fleckeisenus amplexus est. Equidem leniore usus emendatione in v. 635 pro *ita itaque* scripserim collatis vv. Amph. 762: 'Verum ita animatus fui itaque nunc sum, ut ea te patera donem', et Truc. II, 3, 26*). Nisi forte produci mavis posteriorem *ita* vocis syllabam, quam antiquitus longam fuisse verisimile est, quippe qua terminaretur ablativus; cuius quidem rei vestigia apparere videntur in versu illo Saturnio qui in epigrammate Naevii apud Gellium I, 24, 2 legitur (cf. Corssen, Ausspr. II², 454) et in Captiv. v. 499 Br., qui constat ex bacchiis: 'Ubi quisque vident, | Eunt obviam gratulanturque eam rem. | Itá me miserúm restitándo, retinéndo | Lassúm reddidérunt', (Fleckeisenus *nunc* vocem post *ita* supplevit), nisi hoc quoque loco, cum non satis constet Plautum *ita* particulam producta ultima adhibuisse, *itaque* scribere praestat, quale *itaque* legitur in vv. Mil. 106 sq.: 'Occepit eius matri suppalparier vino — itaque intumum ibi se miles apud lenam facit'; Rud. 589, Aul. 412, Ps. 1279, Lab. fr. c. 27, Afran. fr. c. 110. 196.

*) Reliquos locos in quibus itaque invenitur, ubi sententiae alicui in qua ita legitur altera adnectitur similiter formata, addo: Pers. 781: Ita me Toxilus perfabricavit itaque meam rem divexavit. Ps. 1254 Fl. Amph. prol. 15. Truc. II, 6, 45. Cist. II, 1, 36 sq. Capt. 676. 878. Andr. 550. Hec. 206. 579. 604.



*Que* vox facillime omitti potuit, cum librarii satis saepe in libris exscribendis notis uterentur.

**Asin. 352. 353.**

Sic hoc respondit mihi:
'Ego pol Sauream non novi neque qua facie sit scio'.

Omnes codices hoc loco *si* pro *sic* exhibent uno excepto B, in quo manu secunda *c* litera ascripta est. Ussingius: 'Sit hoc, respondit mihi'. Apte atque usitate *sic* hoc loco scribitur. Primum enim *sic* saepius cum pronomine *hic* componitur (cf. Amph. 202. Ph. 450. St. 430 etc.), deinde particulae cum verbis dicendi et sentiendi coniunctae locus est in enuntiatis quae directae quam dicimus orationi praemittuntur, cum si *ita* eiusmodi verbis additur semper sequatur enuntiatum aliquod secundarium quod ex illis suspensum est (cf. exempla quae afferam ad Trin. vv. 832—835). *Sic* igitur hic quoque demonstrativam suam sibi vim servat, ita quidem ut ea quae narrantur geri quasi ante oculos videamus (vide quae dixi ad vv. Asin. 699 sq. et Andr. 804. 805).

Atque eiusmodi haec exstant exempla:

Enn. fr. ann. 115: Simul inter sese sic memorant 'o Romule, Romule die, qualem te patriae custodem di genuerunt. Bacch. 442: Puero sic dicit pater: 'Noster esto etc. fr. c. ex. inc. inc. f. 53. Epid. 237. Poen. I, 2, 174: Sic enim diceres. Amph. 202: Sic haec (codd. *hoc* recte, ut mihi videtur cf. vv. Asin. 352, Ph. 450) proloquar. Ph. 141: Sic oret. Ps. 749: Immo sic scias: ubi te aspexerit, narrabit. Eun. prol. 14: Sic cogitet. Ph. prol. 12. Andr. 110: Sic cogitabam. Ph. 450: Mihi sic hoc videtur: quod te absente hic filius egit, restitui in integrom aequom est. St. 430: Sic hanc rationem instituti: amicam ego habeo etc. Ad. 68.

Quibus cum locis conferas quae leguntur in vv. St. 84: Sic faciam: adsimulabo quasi quam culpam in sese admiserint. Rud. 928: Nunc sic faciam, sic consiliumst: ad erum veniam docte etc. Asin. 820: Ego sic faciundum censeo: me honestius quam te palam hanc rem facerest.

Cist. IV, 2, 101. Cas. II, 5, 33. Merc. 266: Nunc hoc profecto sic est: haec illast capra. Hec. 379. Ps. 677: Set profecto hoc sic erit. Haut. 985: Sic est: non esse horum te arbitror. Poen. supp. 19. Eun. 408.

Ter modo apud priscos scriptores accusativus cum inf. sequitur:

Eun. prol. 5: Sic existumet, responsum non dictum esse. Hec. 845: Sic te dixe opinor, invenisse Myrrhinam Bacchidem anulum suom habere. Cato or. rell. 62, 3: Ego sic accepi — ei potius esse credendum. In Phormionis v. 814: Sic pol commodius esse in omnis arbitror, quam ut coeperas, manere hanc, *sic* ad ea quae praecedunt spectat et verbis *manere hanc* illustratur.

**Asin. 699** sq.:

Vehes pol me hodie, si quidem hoc argentum ferre speras,
|| Ten ego veham? || Tun hoc feras argentum hinc aliter a me?
|| Perii hercle vero: si quidemst decorum erum vehere servom,
Inscende || Sic isti solent superbi subdomari;

**Mil. 1433** sq.

Vae misero mihi:
Verba mihi data esse video · scelus viri Palaestrio,
Is me in hanc inlexit fraudem || Iure factum iudico:
Si sic aliis moechis fiat, minus hic moechorum siet;

**Ad. 554:**

Non hercle hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest.

Quos si locos cum vv. Men. 765 sq.: 'Credo cum viro litigium natum esse aliquod: ita istaec solent quae viros subservire sibi postulant', et Trin. 217 sq.: 'Quod si exquiratur usque ab stirpe auctoritas, unde quidque auditum dicant: nisi id adpareat, famigeratori res sit cum damno et malo: hoc ita si fiat, publico fiat bono'; et Aul. 492: 'Hoc ita si fiat, mores meliores sibi parent pro dote quos ferant quam nunc ferunt', contuleris, videbis *ita* spectare ad ea quae narrentur et esse narrantis. Nam itidem ut *is* pronomen, unde orta est particula, ubique narrationi inservit et de iis quae narrantur,



non quae aguntur vel ante oculos posita sunt, dicitur, ita etiam particulae de qua disputamus in narratione sola locus est et indicat illa modum, qui ex iis quae exponuntur intellegitur. *Sic* vero quod fortiore demonstratione praeditum est (aeque atque *hic istic* pronomina, quibus *ce* syllaba demonstrativa adnexa est, plerumque de iis dicuntur quae adsunt et ante oculos posita sunt) proprie adhibetur, ubi modus, quem significat, ex iis quae videre possis (vide quae ad Andr. vv. 804. 805 dixi) aut quae in scaena ipsa agantur aut sic exponantur, ut non narrari quae gesta sint sed rem geri prorsus videas, colligi potest. Quo fit ut *sic* non requirat plerumque in narratione alterius rei expositionem ut *ita*.

Most. 616: Quid Philolachetem gnatum compellat meum sic? Mil. 1045. Asin. 350. Andr. 757: Adeon videmur vobis esse idonei, in quibus sic inludatis? Hec. 526. Ph. 948. Capt. 487. Bacch. 1100. Poen. I, 2, 24. Cas. V, 2, 36: Cur virum tuum sic me spernis? Asin. 384: Quis nostras sic frangit foris? Amph. 1022. Pers. 274: Qui nunc sic tamen es molestus. Trin. 632. 660. Most. 189. Eun. 833: Dispudet sic mihi data esse verba. Epid. 521. Ph. 528: Sic hunc decipi. 614. Bacch. 771: Supterfugisse sic mihi hodie Chrusalum. Trin. 660. Rud. 399: Ne sic se excruciet. Bacch. 1187: Nil moro: sine sic. Asin. 703: Asta igitur, ut consuetus es puer olim: scin ut dicam? hem, sic: abi laudo. St. 94: Sat sic fultumst mihi*). Asin. 615: Complectere || Facio lubens || Utinam sic ecferamur. Asin. 838—41: Putem ego quem videam aeque esse maestum ut quasi dies si dicta sit? || Ne dixis istuc || Ne sic (maestus) fueris: ilico ego non dixero || Em adspecta, rideo || Utinam male qui mihi volunt sic rideant. Bacch. 668. Eun. 558: Quid est quod sic gestis? Enn. fr. tr. 59: Qui te sic tractavere! Ph. 210. 211. Haut. 458: Quid vini absumsit 'sic hoc', dicens, 'asperum, pater, hoc est'.

*) Bis legitur *sat sic* quod nos vertimus *so wie so schon*. Ps. 388: Nolo bis iterari: sat sic longae fiunt fabulae. Bacch. 1005: Sat sic suspectus sum, quom careo noxia.

Aul. 524: Nunc sic (loquentem) sinam. Rud. 463: Hem, sic volo te ferre honeste (sc. aquam) ut ego fero. Cist. I, 2, 28: Praeter vos haec res sic gestast.

In Truc. quoque v. II, 5, 25: 'Eho, Pithecium, face ut adcumbam, accede, adiuta: sic decet puerperam', modus quem *sic* significat iis quae aguntur illustratur. cf. supra St. v. 94.

Passim *sic* quid sibi velit verbis quae subsequuntur explicatur:

Amph. 585: Sequere, erum qui sic ludificas dictis delirantibus. Mil. 1057: Interdixi meam ne sic volgo pollicitere operam. Men. 131: Sic huic decet dari facete verba custodi catae. Amph. 858: Nimis facinus mirumst, qui illi conlubitum siet meo viro, sic me insimulare falso facinus tam malum; quo loco respecto in Amph. v. 882: 'Durare nequeo in aedibus. ita me probri — a viro argutam meo', pro *ita sic* scripserim. Poen. I, 2, 24: Miror — te istaec sic fabulari. Men. 762: Quidnam hoc sit negoti quod filia sic repente expetit me, ad se ut irem (ubi Ritschelius non recte ut videtur *sic* delevit). Cas. III, 4, 28: Quoi sic tot amanti mihi obviam eveniunt morae. Rud. 426: Non licet te sic placidule bellam tangere. Bacch. 668: R: Quod sic terram [tacens] optuere. Bacch. 908. 1123. Att. fr. tr. 374: Sic atratus taetra veste et vastitudine deformatus. Enn. tr. rell. V. 251: Lumine sic tremulo terra et cava caerulea candent. Amph. prol. 117: Processi sic cum servili schema. Ps. 1298. 1275. Men. 197. Truc. IV, 2, 6. 4, 3. Cas. II, 7, 4: Quid opust qui sic mortuus. Mil. 1021: Astabo hic tantisper cum hac forma et factis sic frustra (ubi *sic* reflexivam ac privitivam *für sich* redolere significationem Rogge, Quaest. de pron. refl. ap. lat. natura, Halle 1875, docet. Trin. 691 (Fl. ex coni. Camerarii): Sic sine dote. Enn. fr. tr. 215. Ps. 449 R: [Sic] iram in promptu gerere. Ps. 477. Merc. 785: Sic me nuptam tam male! measque in aedis sic scorta obductarier. Enn. ann. fr. 338. Andr. 180. Merc. 719.



Huc pertinent etiam formulae quaedam castigandi, in quibus *sic* peculiarem sedem obtinet, velut locutio *sic datur* (cf. similem loquendi formulam: *en tibi*. Mil. 1405. Curc. 195 (Fleck: hem tibi). 625 (Fl.: hem t.). Asin. 431. (cf. Ussing, Asin. 425), qua is utitur qui de altero poenas sumit aut sumptas esse gaudet aut quod male de se actum sit queritur.

Ps. 154: Quid nunc? doletne? hem sic datur, siquis erum servos spernit. Turp. fr. c. 69. St. 766: Euge, euge: sic furi datur. Men. 626. 627. Truc. II, 8, 4. V, 4 (?).

Similis est condicio formularum '*sic dabo*', '*sic dedero*':

Ph. 1026 sq.: Exequias Chremeti quibus est commodum ire, em tempus est. Sic dabo (sc. cuique adversario). Asin. 439. Poen. V, 5, 7. cf. Asin. v. 439: Sic dedero: prius quae credidi, vix anno post exegi.

Ad ea quae aguntur referendum est *sic* etiam in formula interrogandi *sicine*. Atque cum *itane* nihil significet nisi admirationem eius qui, num id de quo agitur re vera ita sese habeat ut dictum sit, comperire studet, et narrationi soli inserviat (vide ad Hec. vv. 149—152), *sicine* summam eius qui loquitur indicat indignationem et iis quae aguntur illustratur.

Eun. 803: Diminuam ego tibi caput hodie, nisi abis || Ain vero, canis? sicine agis? Eun. 99. Ad. 128. Cist. II, 3, 38: Sicine agis nugas?

Quibus locis respectis in Phormionis v. 985, ubi editiones praebent: '*sic agitis?*' *sicine* scribendum propono, cuius quidem vestigia in lectione *itane*, quam omnes codices uno excepto A exhibent, latere putaverim. In v. 955 cum Demipho dixerit: 'Hicine (Phormio!) ut a nobis hoc tantum argenti auferat tam aperte inridens?' et Phormio senserit illum se pecunia circumducere velle: 'Itane agitis mecum?' (v. 968), inquit. Sed cum Demipho se in ius cum Phormione iturum declaraverit et Chremes iam ipsi vim et manus intulerit, Phormio indignabundus 's i c i n e agitis' exclamat. Quo loco perbene quo modo *itane* et *sicine* locutionum usus differat illustratur. Addo reliquos versus, in quibus *sicine* legitur:

Poen. III, 1, 9: Sicine oportet ire amicos homini amanti

operam datum? Haut. 166: Non convenit — nunc me ipsum fugere. || Sicinest sententia? Merc. 158: Sicine mi obsequens es? Haut. 691: Sicine mihi interloquere? Poen. I, 2, 173: Sicine ego te orare iussi? Pers. 42: Sicine hoc te mihi facere? Rud. 884: Sicin me spernis? Andr. 689: Sicine — me sollicitari? Curc. 589: Sicin mihi os esse oblitum?

Verbis sequentibus *sic* illustratur in vv.:

Ps. 320: Sicin mi aps te bene merenti male refertur gratia? Cist. I, 1, 116: Sicin immunda ibis? Rud. 251. Asin. 127: Sicine hoc fit? foras aedibus me eicier? Ps. 1246: Quid hoc? sicine hoc fit? pedes, statin an non?

Proprio munere fungitur particula ubi quis, postquam multa secum reputavit quid faciendum sit, nunc quod optimum factu cognoverit se facturum declarat. Ea quae quis facere se velle declarat quasi iam gesta sint finguntur.

Capt. 494 sq.: Is diem dicam, inrogabo multam, ut mihi cenas decem meo arbitratu dent, quom cara annona sit. sic egero. St. 429: Ad cenam ibo — sic hoc placet. Trin. 716: Sic sententiast. Amph. 261: Haec sic dicam erae. Ad. 786: Sic agam (cf. exempla, in quibus sic orationi directae praemittitur ad Asin. vv. 352. 353).

Locutiones contra similes: 'ita facere certumst', (Mil. 522. 574. Trin. 1063*) 'consiliumst ita facere' (Mil. 344) 'ita faciam', (Trin. 806. Eun. 504. 724. Andr. 46. Curc. 88, 'ita lubet' (Ps. 1299) sunt ubique quae alter dixit comprobantis. Quare minime mihi placent quae omnes fere editiones codicum sane auctoritatem secutae exhibent in Trin. v. 232 sq.: 'De hac re mihi satis hau liquet: nisi hoc sic faciam, opinor, ut utramque rem simul exputem, iudex sim reusque ad eam rem. Ita faciam: ita placet'. Immo Fleckeiseno duce: 'sic faciam, sic placet' puto esse scribendum.

*) Eun. versum 188, ubi in sermone eiusdem 'ita facere certumst' legitur, interpolatum esse cum aliis de causis apparet (cf. Hoelzer, de interpol. Terentianis, Halle 1878) tum quod in Bembino deest.



Atque recte nos *sic* scribere haud scio an eo comprobetur quod qui 'ita faciam' legunt de metro non consentiunt. cf. Ritschl, ed. 71.

Carptim legitur formula 'sic face' in sermone eius qui alterum ad cenam invitat et maiorem in modum ut veniat rogat.

St. 185: Veni illo ad cenam: sic face. St. 473. Most. 1129 R. (codd.: sic tale) cf. contra: 'ita facito'. Asin. 488, 'ita velim facias' Pomp. fr. c. 53.

Reliquis in locis, ubi *sic* ad ea quae antea dicta sunt referendum est, gravior quaedam vis in particula inest quam in *ita*.

*Sic* quod in Poen. vv. II, 12 sq.: 'Avarae Veneri pulcre adii manum, quando id quod sat erat, satis habere noluit. Ego paussam feci: sic ago, sic me decet', legitur est hominis procacis et gloriosius de se praedicantis.

In Merc. vv. 948 sq.: 'Ut valuisti? quid parentes mei valent? Tam gratiast: bene vocas, benigne dicis; cras apud me, nunc domi: sic decet, sic fieri oportet', Charinus, quem commotum perturbatumque esse apparet, haec loquitur. cf. contra Hec. v. 251: 'Ut veni, itidem incertum amisisti: haud ita decet'. Mil. 616: 'Ita decet facere'. 896. Epid. 421. Ad. 928.

**Bacch. 331** sq. Fl.:

Set istic Theotimus divesnest? || Etiam rogas?
Quine habeat auro soccis suppactum solum?
|| Quor ita fastidit? || Tantas divitias habet.

Offendo in verbis 'quor ita fastidit', cum *ita*, ubi ad ea quae antea narrata sunt spectat, mediis insertum sententiis non legatur nisi in enuntiatis quibus alter alteri respondet et quae alter dixit comprobat vel repudiat:

Merc. 393: Nullam vidi melius mea sententia || Mihi quoque ita pol visast. Capt. 120. Andr. 563. 915. Mil. 362. Cas. II, 6, 8. Amph. 575: Homo bic ebriust — || Utinam essem ita (= ita velim. Pers. 629. Ph. 855). Haut. 161: Utinam ita di faxint (cf. ita dei faxint Poen. IV, 2, 89.

87. Pers. 652. Capt. 172. Most. 398. Hec. 102. Aul. 257. 788). Hec. 354. Poen. IV, 2, 93: Et hoc ita fiet. Rud. 372: Novi, Neptunus ita solet. Pers. 211: Nemo homo unquam ita arbitratust.

Pers. 211: At pol multi esse ita sciunt Asin. 870. Andr. alter ex 18. Cas. I, 1, 18. Ph. 588. Epid. 713. Hec. 141. Trin. 353. Ep. 207: Ego ita factum esse dico. Bacch. 552. Haut. 889. Trin. 545. Mil. 1231: Spero ita futurum. Hec. 141: Credo ita tibi videri. Hec. 536: Utinam sciam ita esse istuc. Ps. 633: Potest ut alii ita arbitrentur. Mil. 344: Consiliumst ita facere. Asin. 786. Ph. 855. Mil. 1120: Itane tu censes? || Quid ego ni ita censeam? (= *ita censeo*).

aut in enuntiatis secundariis quae *si nisi quando cum* particulis efferuntur vel ex verbo aliquo dicendi pendent.

Men. 460: Si id ita esset, non ego hodie perdidissem prandium. Bacch. 554 (Pac. fr. tr. 153). Aul. 492. Trin. 220. Ad. 437: Ille ad me adtinet, quando ita volt frater. Pers. 223. Stich. 92: Sat est ausculi mi vostri — quia ita meae animae salsura evenit.

Hec. 843: Deus sum si hoc itast. Poen. V, 2, 87. Ph. 269. Pers. 133. Haut. 660. Pers. 215: Fatear, si ita sim. Ph. 202: Ergo istaec cum ita sint, tanto magis te advigilare aequomst. Cas. II, 4, 6: Quin, si ita arbitrare, emittis me manu? Ph. 369: Nam ni ita eum existumassem, nunquam — caperem (sic Fleckeisenus scripsit codices uno excepto A, in quo manus posterior *ita* supra scripsit, secutus). Ad. 483: Extorque, nisi ita factum est. Aul. 735: Quid ego de te conmerui mali, quam ob rem ita faceres meque meosque perditum ires liberos? Ad. 601: Si ita aequom censes aut si ita opus est facto, eamus. Poen. supp. 26: Mitto, si ita sententia est. Eun. 536. Trin. 573: Quando ita vis, di bene vortant. Mil. 1227. Trin. 107: Est et fuit: id ita esse ut credas, rem tibi auctorem dabo. Eun. prol. 29. Ph. 855: Ita velim: sed qui istuc credam ita esse mihi dici velim. Hec. 103.

Hec. 300: Quod cum ita esse invenero, quid restat nisi etc.



Bacch. 387: id opera expertus sum esse ita. Pers. 496: ut me scias esse ita facturum, tabellas tene has. Most. 986. Quod si exempla quae protuli perlustraveris, videbis *ita* particulam apud scaenicos quidem poetas, ubi mediis insertum invenitur enuntiatis, coniunctam legi cum verbis solis iisque quae et ipsa modum significant velut *esse facere* vel coniungendam esse cum his verbis animo supplendis. Qua re adducimur, ut optimo iure putemus non recte *ita* legi in vv. Haut. 874:

Ego me non tam astutum neque ita perspicacem esse id scio,

et Hec. 284. 285:

Quanto fuerat praestabilius ubivis gentium agere aetatem,
Quam huc redire atque haec ita esse miserum me resciscere!

praesertim cum *ita* his locis non ad ea quae narrata sint referri possit. Equidem *tam* pro *ita* scribendum propono. Facillime fieri potuit ut librarii qui usum scriptorum veterum ignorarent particulas aliam cum alia commutarent. Atque iure nos in his versibus offendisse, eo etiam comprobari videtur quod in Haut. quidem versu codices D et G *tam* praebent. In Hecyrae v. facillime ex verbis: 'tam me' 'ita me' errore librarii oriri potuit, si alterum *m* omissum erat.

Usum constantem quem diximus Ritschelius quoque parum respexit qui in Most v. 84: 'Nam hic quom erilem filium video corruptum ex adulescente optumo', *ita* post *corruptum* addidit.

Sed ut ad Bacch. illum versum redeamus, cum *ita* quod in codicibus invenitur ab usu Plauti reliquorumque priscorum poetarum abhorreat, scribo: 'Quor tam fastidit', (vide ad vv. Trin. 608. 609, ubi exempla protuli, in quibus *tam* cum verbis compositum legitur), nisi 'Quor sic fastidit' scribere males.

Etiam in vv. 5 sq. Arg. I Pseuduli, ubi Ritschelius scripsit:

Dicens Syrum se Ballionis Pseudolus,
Opémque [suo] erili íta tulit

haud scio an pro *ita* scribendum sit *sic*, quo optime versui succurritur.

2

**Capt. 92 sq.**

Nam postquam meus est rex potitus hostium,
(Ita [enim] belligerant nunc Aetoli cum Aleis:
Nam Aetolia haec est: illist captus in Alide
Philopolemus huius Hegionis filius
Senis qui hic habitat: quae aedes lamentariae
Mihi sunt, quas, quotiensquomque conspicio, fleo)
Nunc hic occepit quaestum hunc fili gratia
Inhonestum.

Sic Fleckeisenus versus exhibet; sed errasse mihi videtur in eo quod in v. 93, ubi in codicibus: 'ita nunc bell.' leguntur, *enim* particulam addidit. Saepius enim apud priscos scriptores *ita* positum invenitur ea ratione, ut ea quae antea dicta sunt accuratius explicentur aut novi aliquid eis momenti addatur; quo fit ut haud raro causalem paene notionem usurpet, velut in Pers. v. 471: 'Ego hodie compendi feci binos panes in dies: ita mea ancilla quae fuit hodie sua nunc est'. Locis quos Langenius ad hunc particulae usum probandum (Beiträge p. 232 sq.) attulit (Amph. 1056 sq., Aul. 422, Bacch. 1095 sq., Epid. 532 sq., Men. 93 sq., Mil. 402 sq., Most. 655 sq., Pers. 783, Ps. 894 sq., Rud. 822 sq., Trin. 28 sq., 542 sq., Truc. I, 2, 93 sq.) hos addas:

Mil. 158 sq.: Mihi quidem iam arbitri vicini sunt, meae quid fiat domi: ita per inpluvium intro spectant. Hec. 302: Tum uxori obnoxius sum: ita olim suo me ingenio pertulit. Capt. 673 sq.: Confecisti omnis res ac rationes meas: ita mi exemisti Philocratem fallaciis. Ps. 415 sq.: Si de damnosis aut si de amatoribus dictator fiat nunc Athenis Atticis, nemo anteveniat filio credo meo. Ita nunc per urbem solum sermoni omnibust eum velle amicam liberare. Cist. II, 1, 13: Neque nisi quia miser non eo pessum, mihi ulla abest pernicies. ita pater detinuit me. Pers. 731: Transcidi loris omnis adveniens domi: ita mihi supellex squalet. Epid. 669.

Quibus locis respectis iure putamus non recte iudicasse Ussingium qui *ita* sic interpretatur in Capt. illo versu: 'ita ut capiantur opulentissimi homines'; neque recte Fleckeisenum *enim* addidisse, cum *ita* solum iam idem valeat atque *enim* illud, quod ubique affirmativae particulae, non causalis apud Plautum quidem vice fungi Langenius docuit (pag. 262. 263). Equidem cum hiatu post *cum* legendum propono:



Ita núnc belligerant 'Aetoli cum 'Aleis.

Brixius versus 93. 94 delendos censuit quasi ex prologo non qui nunc exstat, sed vere Plautino adscitos, cum parenthesis longior esset quam ut ferri posset; sed non intellego quid his deletis efficiatur, cum tres adhuc restent versus quos pro parenthesi capi oportet. Equidem putaverim versus hos esse Plautinos et recte hoc loco legi et eum qui prologum conscripsit (cf. Ritschl, Par. I, 209 sq. Brix, Einleitung) versus mutatos prologo suo inseruisse. cf. vv. 24 sq.: 'Postquam belligerant Aetoli cum Aleis, ut fit in bello, capitur alter filius etc.

**Capt. 352.**

Quám citissumé potest, tam hoc cédere ad factúm volo.

Omnes editores consentiunt versum esse depravatum quia locutio 'cedere ad factum' insolentior esse videtur. Ussingius adnotat: 'ad effectum perduci, si vera scriptura'; Madvigio: 'ad pactum' in mentem venit; Brixius sententiam desiderat velut: 'tam hoc celeriter factum volo' vel 'tam hoc mihi dari ecfectum volo'. Equidem, cum ubique in eiusmodi sententiis superlativus particulae *tam* additus inveniatur (cf. Truc. I, 2, 69. 71. Aul. 237. Haut. 998. Ad. 503*). Cato, de r. r. 64, 2. 65, 1. 157. Cato, J. p. 85, 9. Varro, de r. r. II, 9, 12. (Sall. Iug. 31. Çic. Ph. 12, 5, 11) locum sic restituerim:

Quám citissumé potĕst (vel potĕ) tam hoc celérrume (vel citissume) factúm volo.

Ad correptam ultimam vocis '*potest*' syllabam conferas Trin. v. 730.

---

*) Bis in altero comparationis membro *quam* particula elato superlativus omissus est: Merc. 121: 'Quam resisto, tam res maxume in periculo vortitur'. Mil. 781.

**Cas. II, 7, 6. 7.**

Atque id non tam aegre est iam vicisse villicum
Quam id expetivisse opere tam magno senem,
Ne etc.

*Non tam — quam*, quod nos vertimus: *nicht sowohl — als vielmehr*, leguntur etiam in vv. Eun. 392: Non tam ipso quidem dono (laeta est) quam abs te datum esse; Haut. 686, Pacuv. fr. tr. 38. cf. Rud. 943: 'Non edepol piscis expeto quam tui sermonis sum indigens', ubi *tam* omissum est. Quibus locis respectis corrigendum est quod Draegerus docuit (Hist. Syntax II[1] p. 617): 'Die Vergleichung von Eigenschaften oder Thätigkeiten ungleichen Grades geschieht durch non tam — quam, was jedoch erst seit Cicero auftritt'. cf. Lucr. I, 343.

Duobus locis apud Plautum, ubi primum comparationis membrum negatur, pro enuntiato correlativo sequitur enuntiatum per *sed* adnexum.

Trin. 688: Nolo ego mihi te tam prospicere qui meam egestatem leves, set ut inops infamis ne sim.

Mil. 850—853 Brix:

Hoc illi crebro capite sistebant cadi ||
Non hercle tam istoc valide cassabant cadi,
Sed in cella paulum loculi erat nimis lubrici.

Sic Brixius versuum, quos depravatos esse ex variis codicum scripturis apparet, lectionem restituit locumque interpretatur: 'Ea de causa (hoc! cf. Ps. 807. 822) illi cadi cr. c. s. || Non hercle tam istac de causa (istoc! Cist. I, 1, 120. Truc. I, 2, 50. II, 4, 22) v. c. c., quam quia in c. p. l. e. n. l.'. Ritschelius vero, Fleckeisenus, Lorenzius praebent:

Hem, ibi crebro, credo, capite sistebant cadi || Non hercle tam istic (bei der erwähnten Gelegenheit) valide cassabant cadi. Set erat in cella paulum loculi lubrici.

Probaverim lectionem quam Brixius constituit, cum non solum aptissime fluat oratio et sententia optime conformatur sed etiam codicum scriptura qui in v. 851: *hic illecebro* (B) *hic illi celebro* (DC), in v. 852 *istoc*, in v. 853 *erat paulum nimis loculi* exhibent, melius quam ab illis editoribus servetur. Accedit ut *tam* quid sibi velit in Ritschelii verbis non intellegitur.



**Men. prol. 62—67 Br.**

Eumque heredem fecit, quom ipse obiit diem.
Nam rus ut ibat forte, ut multum pluerat,
Ingressus fluvium rapidum ab urbe haud longule,
Rapidus raptori pueri subduxit pedes
Apstraxitque hominem in maxumam malam crucem.
[Ita] illi divitiae evenerunt maxumae.

*Ita* quod Pylades in initio sententiae supplevit optime huic loco convenit; Ritschelii vero lectio: 'Illi div. ita evenerunt m.' ideo reprobanda est quod nusquam *ita**) hac cum vi mediis insertum invenitur sententiis uno excepto loco, de quo videamus.

Mil. versus 266—269 editores secundum codices sic exhibent:

Si invenio qui vidit, ad eum vineam pluteosque agam.
Res paratast: vi pugnandoque hominem caperest certa res.
Si ita non reperio, ibo odorans quasi canis venaticus
Usque donec persecutus volpem ero vestigiis.

Miror editores in verbis 'si ita non reperio' acquievisse. Nam ut *ita* particulam sic accipiamus ut ad ea quae antea dicta sunt spectet prorsus non perspicitur quid hoc sibi loco velit. Equidem particulam hic delendam esse censeo, qua deleta sensus efficitur optimus; opponuntur enim cum vi quadam sententiae 'si invenio etc.' et 'si non reperio'. Corruptela ita mihi irrepsisse videtur, ut scriptor librarius ex errore *sic* post *si* adderet, quod, cum metrum non staret, in *ita* mutatum est.

*) Cf. contra Cas. II, 4, 19: 'Si sic nihil impetrare potero, saltem sortiar'. Trin. 465. St. 483. Ps. 542. Mil. 1014. Merc. 92. Ph. 303. Hec. 288. Uno loco *sic* in initio enuntiationis positum est, ut eventum notet. Hec. 598: 'Tempus est concedere: sic optume — omnis causas praecidam omnibus'.

Addo locos, in quibus *ita* eventum quem ea quae narrantur habeant vel habuerint notat.

Pers. 84: Simulabo quasi non videam: ita alliciam virum Mil. 153. Merc. 96. Capt. 502. 656. Cist. II, 1, 11. Poen. V, 4, 66. I, 1, 59. Cist. IV, 2, 20. Ps. 299 sq. Hec. prol. 21. Caec. fr. c. 150. (Lab. fr. c. 75.) Att. fr. tr. 275.

**Mil. 202—204. L. 203—205 R.**

Ecce avortit: nisam laevo in femine habet laevam manum.
Dextera digitis rationem conputat: ferit femur
Dextrum dextra ita vehementer: quod agat, aegre suppetit.

Sic versus Lorenzius Spengelio duce restitui voluit et adnotat: 'Ita vehementer deiktisch: »so recht heftig«, wie wir eben gesehen'. Sed erravit; neque enim *ita*, cum sit ortum ex pronŏmine is quod soli narrationi inservit et ad res antea descriptas vel describendas spectat, ac non ad ea quae aguntur vel in oculorum conspectu collocata explicantur, quem ad modum *sic* ponitur, deictice usurpari potuit*). Unus modo locus huic quam constituimus legi contradicere videtur, Rud. vv. 204. 205, ubi leguntur:

Nunc quam spem aut opem aut consili quid capessam
Ita híc [sola] sólis locís conpotita?

cui quidem loco succurrere possumus, si post *capessam* interpungimus, ita ut ea quae sequantur pro epiphonemate accipiantur. Atque recte nos sic interpungere haud scio an eo probetur quod in codicibus compluribus *compotita sum* leguntur. Quae cum ita sint Lorenzii lectionem in Mil. illo v. reprobo et Brixii amplector coniecturam qui *ferit* in *fervit* mutato codicis A scripturam secutus praebet: 'fervit femur Dexterum (sic codd.), ita vehementer icit**).

**Most. 341** sq.:

Phil.: Di te ament. accuba mi Callidamates.
Unde agis te? Callid.: Unde homo ebrius probe.

*) Vide ad vv. Asin. 699 sq. et Andr. 804. 805.

**) Studemund, Stud. I, 1, 51 'ita vehementer icit' in codice A legi docuit.



Phil.: Quin amabo accubas, Delphium mea?
Call.: Da illi quod bibat: dormiam ego iam.
Delph.: Non mirum aut novom quippiam nunc facit.
Phil.: Quid ego hoc faciam postea, mea? Delph.: Sic sine eumpse.

*Sic* hic de loco dici in Hermae vol. XV p. 612. 613 docui. cf. Bacch. 1134. 1135. Asin. 456 sq. Truc. IV, 3, 13. Rud. 808 sq. Ad. 168 sq. cf. *ὧδε*. Soph. Oed. R. 7. 144. 298. Oed. Col. 181. 1206. Trach. 496.

**Most. 626** sq.:

Huice debet Philolaches
Paulum. || Quantillum? || Quasi quadraginta minas. ||
Paulum id quidemst? || Ne sane id multum censeas. ||
Adeo etiam faenus creditum argenti audio.

Langenius qui de *adeo* particulae usu Plautino observationes scripsit satis longas (p. 137—152), postquam de usu particulae, e quo de loco, de tempore, de qualitate dicitur, disputavit, locum quem protuli et complures alios laudans haec adnotat: 'Die weitere Bedeutung von adeo ist 'ad id' 'praeterea': 'dazu, noch dazu', welche begreiflicher Weise sehr leicht den Sinn der Steigerung 'sogar' annehmen kann'. Handius, Holtzius alii iam hanc in particula inesse notionem docuerunt, cum 'ad praepositio non solum locum quo motus quidam pergit describat, sed etiam accedere aliquid ad aliquid significet'. Quod quamquam concedendum est, tamen persuadere mihi non possum *ad* praepositionem etiam in coniunctis vocabulis *ad* et *eo* adverbio loci hanc vim obtinere. Mea quidem sententia *adeo* propriam suam sibi notionem ubique vindicat, quamquam concedo eam valde esse attenuatam.

Atque ut ad ea quae Langenius docet redeam, num recte loqui putas cum dicat alteram particulae notionem esse *dazu, noch dazu* et concedat saepius, ubi hac cum vi *adeo* adhibeatur, notionem gradationis usurpare sibi illam, cum, ubi proprie de loco, deinde de tempore et qualitate dicitur, iam per se illa qua est natura amplificatam condicionem gradumque significet? Nonne absonum videtur, quae notio iam per se in particula inest, eam illi attribuere?

Sed alia quoque de causa Langenio me assentiri non

posse confiteor. Docet enim *adeo* uno excepto Amph. v. 982, ubi *proinde* adverbio apponitur, non iam a Plauto substantivis, adiectivis, adverbiis, verbis additum esse, ut maiore ea vi efferat, cum Terentius plurima exempla praebeat. Mihi non causa esse videtur, cur hunc particulae usum a Plauto abiudicemus, cum haud raro apud eum pronominibus et *nunc* adverbio *adeo* appositum inveniamus; neque persuadere mihi possum tam exiguo temporis spatio particulae usum tantopere esse excultum.

Liceat mihi proferre quae ipse de improprio ut ita dicam particulae usu sentiam, e quo ita adhibetur, ut non enuntiati alicuius membrum ea sit liberum solutumque, quod est sui iuris ut in iis locis, in quibus de loco, de tempore, de qualitate dicitur, sed ut nihil valeat nisi cum enuntiato aliquo vel vocabulo artissime coniuncta*).

Atque primum quidem particulae locus est in sententiis conserendis, ubi oratio ascendit a minoribus ad graviora et maiora, ita quidem ut particula addita indicetur sententiam alteri praecedenti quodam modo opponi et maiore quadam vi efferri atque attolli. Deinde ita ponitur ut unius modo vocabuli vim augeat idque inter reliqua reddat eminentius.

Atque ut de particula in sententiis conserendis adhibita dicam, primum quidem, ubi enuntiationi alicui praecedenti adiungitur alia sententia quae maius aliquid et gravius affert, *adeo* legitur coniunctum cum particula copulativa *atque*, qua sola iam quippe quae orta sit ex *ad* et *que* (i. e. *insuper*, *praeterea*) iis quae antea dicta sunt aliquid maioris momenti additur. cf. Rud. 121. Amph. 755. Ps. 739. Bacch. 538. Capt. 583. Epid. 30. Haut. 734. *Atque adeo* vertimus *und noch mehr*, *und sogar*, vel accuratius *und so weit ist es gekommen* (cf. locutionem: 'adeo res rediit'. Haut. 113: 'Postremo adeo res rediit: adulescentulus saepe eadem audiendo victus est'. Ph. 55. Ph. 153: 'Adeon rem redisse ut — patrem — extimescam. Haut. 980).

*) De adeo particula disputaverunt: Reinhold, de usu part. adeo brev. observatio. Prim.; Klein, Z. f. Alterth. 1841, p. 1300—1309.



Hec. 397: Volo doque operam ut clam eveniat partus patrem atque adeo omnes (i. e. atque ut adeo res redeat, ut omnes clam eveniat). Hec. 457: Bene factum te advenisse atque adeo, id quod maxumumst, salvum. Truc. II, 4, 6: Vah, vapulabo, — atque adeo male. Curc. 333: Respondit mihi paucis verbis atque adeo fideliter. Mil. 164: Disperistis ni usque ad mortem male mulcassitis. Atque adeo, ut ne legi fraudem faciant aleariae, adcuratote, ut sine talis domi agitent convivium. Cas. II, 6, 15. Attius, fr. tr. 167. Afran. fr. c. 155.

In Cas. versu IV, 3, 4, ubi editiones exhibebant: 'Esurio hercle atque adeo haud sitio', Ritschelius (op. phil. II p. 181) in litteris quae in codice A servatae sunt latere docuit lectionem: 'esurio hercle atque adeo haud saturio'; qua sententia apte conformatur: 'fürwahr mich hungert, ja ich habe nicht einmal Lust satt zu sein', cum in illa gradationem in verbis: 'atque adeo haud sitio' inesse nullo modo appareat.

Saepius vocabulorum *atque adeo* quae sit vis haud ita manifestum est. Semper autem tenendum esse puto coniuncta ea re vera notare accessionem ac gradationem.

Mil. 1088: 'Atque adeo, audin? dicito docte et cordate'. Palaestrio haec dicit, postquam Milphidippae mandata dedit. Non simpliciter, inquit, ea efficito, sed etiam docte et cordate dicito.

Ps. 291: 'Egon patri subrupere possim quidquam tam cauto seni? atque adeo si facere possim pietas prohibet', hoc est: subripere nihil possum, cum pater cautus sit; imprimis autem, etiamsi possem, pietas me prohiberet id facere'.

Men. 122: 'Virum observare desines. atque adeo ne me nequiquam serves, ob eam industriam hodie ducam scortum'. Menaechmus dominum se esse dicit neque uxoris interesse quid ipse faciat. Atque se facere posse quod sibi lubeat eo ipso probare vult, quod scortum se ducturum praedicat.

Eun. 964: 'Edico vobis nostrum esse illum erilem filium — ne quam in illum Thais vim fieri sinat! Atque adeo autem cur non egomet intro eo'. Pythiae Parmeno haec dicit ut

Thaidi ea renuntiet; sed praestare censet ipsum se cum Thaide loqui.

Stich. 701: 'Uter amicam utrubi adcumbamus? || Abi tu sane superior. atque adeo ut tu scire possis, pacto ego tecum hoc divido: vide utram tibi lubet etiam nunc capere, cape provinciam'; hoc est: 'concedo tibi non solum superiorem abire sed etiam capere provinciam utram tibi lubet'.

Ph. 389: Phormio: 'Non dico: quasi non nossis (nomen), temptatum advenis || Demipho: Ego autem tempto? || Geta: Stilpo || Phorm.: Atque adeo quid mea? Stilpost'. Phormio nominis oblitus Demiphontem ignarum se fingere dicit, ut sibi illudat. Sed postquam ex Geta nomen excepit, nunc iam: 'Potest esse ut non temptes, inquit, atque adeo quid mea refert (num temptes)? dicam tibi nomen'.

Andr. 532: 'Nunc Chremem conveniam: orabo gnato uxorem: — atque adeo in ipso tempore eccum ipsum obviam'. *Atque adeo* hic idem valere videtur atque graeco sermone *καὶ μήν*, quod apud tragicos legitur, ubi histrio alius scaenam introit. Conferas similes loquendi formulas, quibus comici utuntur: *atque eccum*, *set eccum*.

Eadem fere sententia iterum legitur in altero Andriae exitu 977: 'Age, me in tuis secundis respice. Tuos est nunc Chremes: facturum quae voles scio esse omnia || Memini: atque adeo ut volui commodum huc senex exit foras'.

Duobus his locis sententia aliqua media supplenda videtur velut 'dum de illo loquimur (ipse adeo advenit)' cf. Asin. 403: 'Atque hercle ipsum adeo contuor'. Andr. 415. Haut. 804. Etiam Att. v. fr. tr. 470: 'Atque adeo valvas sonare sensi regias', haud scio an huc referendus sit.

Andr. 977: 'Memini: atque adeo longumst illum me exspectare dum exeat'. Pamphilus: 'Memini, inquit, Chremetem meum esse et omnia facturum quae volo et idcirco Chremeti pro te supplicabo'. Atque hoc inprimis sibi esse curae eo ipso probat quod longum esse dicit se illum exspectare et statim se ad Chremetem iturum praedicat.



Men. prol. 7—12:

Atque hoc poetae faciunt in comoediis: v. 7.
Omnis res gestas esse Athenis autumant, v. 8.
Quo vobis illut graecum videatur magis. v. 9.
Ego nusquam dicam, nisi ubi factum dicitur. v. 10.
Atque adeo hoc argumentum graecissat: tamen v. 11.
Non atticissat: verum sicelissat [tamen]. v. 12.

Hunc versuum ordinem omnes produnt libri manuscripti. Ritschelius autem versus ita transposuit, ut versus 11. 12 ante versus 7—10 collocaret. Quod quidem ferri non potest quia, si hac versuum collocatione utimur, id quod verbis 'atque adeo etc.' dicitur non cohaeret cum verbis praecedentibus, ita ut lex illa evertatur, e qua enuntiata omnia *atque adeo* vocabulis formata postulant, ut vidimus, ut altera praecedat sententia, cui maius vel gravius aliquid addatur. Qua re Ritschelium errasse puto cum versus sic transponeret. Accedit ut versuum ordine eo qui in libris invenitur servato sententia efficiatur aptissima. Is enim qui prologum Menaechmorum scripsit (nam satis constat a Plauto ipso prologum non esse conscriptum) hoc dicit: 'Poetae alii, inquit, omnes res esse gestas Athenis simulant, quo magis graecae fabulae videantur. Equidem nihil simulo, sed dico quod verum est'. Quae cum dicat, fabula Menaechmorum non esse graeca videri potest. Cui suspicioni occurrit verbis quae sequuntur. 'Nihilo secius, inquit, fabula in graeca terra agitur, non illa quidem in Attica, verum tamen in Sicilia'.

Locum si sic interpretamur, versus 11 et 12 optime cohaerent cum praecedentibus et indicant gradationem.

Eadem vi atque vocabula *atque adeo* in enuntiatis negativis *neque adeo* posita invenimus.

Trin. 91: Nil agis: neque adeo edepol flocci facio. Trin. 181. Epid. 176. Hec. 529: Credo: neque adeo arbitrari patris est aliter Hec. 261. Capt. 519: Neque auxilium mist neque adeo spes. Capt. 348. Ps. 398. Merc. 394. 859. Trin. 200: Nihil est profecto stultius neque stolidius [neque mendaciloquom neque adeo argutum magis] neque confidentiloquius; quem locum Ritschelius spurium esse vult. Accius (ap. Gell.

III, 3). Poen. III, 3, 28. IV, 2, 38. Bacch. 1209. Ad. 987. Men. prol. 21.

Quibus locis respectis in Ps. v. 1118:

'Vérum ubi is nón venit néc [manentém] vocat',

legendum proposuerim: 'néque adeo mé vocat'.

Eundem fere sensum atque ubi cum *atque* particula coniunctum legitur *adeo* efficere videtur vocabulo alicui postpositum, si sententia altera per particulam *que* ad enuntiatum aliquod prius adnectitur. Neque tamen putare licet priscos scriptores in enuntiatis conserendis modo hac modo illa, prout quemque libido ferret, dictione usos esse. Haec enim lex statuenda videtur: Per *atque adeo* non solum sententiae quae ex uno modo vocabulo constant aliis adnectuntur, sed etiam plenae enuntiationes quae, quod ad structuram enuntiatorum attinet, aliam habent atque ea quae praecedunt; quod si autem *que* — *adeo* vocabulis utuntur scriptores, non solum eadem constructione pergere orationem oportet, sed etiam sententiam quae additur ex uno modo vocabulo vel duobus quae interiore quodam nexu artissime cohaereant et in unum quasi coeant constare.

St. 11: Crucior patrem meumque adeo improbi viri officio uti. N. d. und noch mehr (sogar), dass er der auch der meinige ist. Eun. 303: Ut illum di — senium perdant qui hodie me remoratus est meque adeo qui restiterim. Rud. 1167. Ps. 184: Eo vos vostrosque adeo pantices madefacitis quom ego sim hic siccus. Men. 597. Rud. 103: Pater salveto [tu] amboque adeo. Sext. Turp. fr. c. 118: Te Apollo — teque Neptune invoco vosque adeo, venti! id. fr. c. 160. 161: Semper studuit perdere detegere despoliare opplereque adeo fama. Enn. tr. rell. 321. V. (Ribb. fr. tr. 237): Iuppiter tuque adeo summe Sol qui — inspice hoc facinus. Haut. 386. Hec. 848.

Pers. v. 329 sq., ubi codices exhibent:

Quae res bene vortat mi et tibi et ventri meo
Perennitatisque adeo huic perpetuo cibo,

Ritschelius, quia ea quae leguntur insolentiora esse videbantur, sic scripsit: 'Perennitatemque adeo huic perpetuet cibi'. Quae lectio quamquam perspicuitate illam vincere videtur, tamen codicum scripturam servandam puto, quia nusquam, ubi *adeo* gradationem significat, plenae duae per *que* conectuntur sententiae*). Saturio optat ut res de qua agitur non modo sibi et ventri suo bene vertat, sed etiam cibo, ita ut perpetuus sit atque optimus; quae verba praeclare in parasiti naturam cadunt.



Merc. v. 26 libri sic exhibent:

Inéptia stultítiaque adeo et témeritas.

Metrum cum clamare videretur locum esse depravatum**) Ritschelius scripsit: 'Ineptia atque stultitia adeo et temeritas'. Sed cum studeret ut metricam labem tolleret, communem sermonis consuetudinem parum respexit. Nusquam enim, in eiusmodi enuntiatis, ubi duae vel plures enuntiati partes alia alii adnectuntur *atque adeo* inveniuntur interposito aliquo vocabulo. Duas modo in scribendo rationes poeta inire poterat. Aut enim scribendum erat: 'Ineptia atque adeo stultitia', aut: 'Ineptia stultitiaque adeo'. Cumque hoc loco codices hanc lectionem praebeant, retinendam eam esse putaverim et scribendum cum Camerario pro *ineptia*, quod in Adelph. v. 749 solo legi videtur, *ineptiae;* nisi: 'Inéptia et stultítia atque adeo témeritas', legere mavis, cum gradatio maior in vocabulo *temeritas* insit.

Similiter *adeo* usurpatur *vel*, *aut* particulis disjunctivis praecedentibus his locis.

Cas. prol. 77: 'Poenus dum iudex sit vel Graecus adeo vel mea causa Apulus'. Ph. 932: 'Etiam nunc credis te ignorarier aut tua facta adeo? || Inritor'. Liceat mihi copiosius de Phormionis versu disserere. Dziatzko enim in editione sua post *facta* interpunxit et *adeo* particulam cum *inritor*

*) Eadem de causa reprobo Buecheleri (Rh. Mus. XIV) coniecturam: 'Perennitassitque adeo huic perpetuo cibum'.

**) Non me fugit Muellerum codicum scriptura servata *ineptia* legere producta ultima.

verbo ita coniungi vult, ut illa gradatio quae in verbis *illuditis me* (v. 915), *decipior* (v. 927), *inritor* insit oculis et auribus significetur. Sed erravit. Eiusmodi gradationem *adeo* solum positum nusquam apud priscos quidem scriptores indicat. Quod si verba illa in eodem invenirentur versu, poeta fortasse 'atque adeo inritor' vel 'inritor adeo' (cf. Merc. 60) scribere poterat, sed ne tum quidem 'adeo inritor'.

Huc pertinet etiam Amphitr. v. 169, si Bergkii (Beitr. z. lat. Gr. I, p. 68. cf. Ussing) coniecturam amplectimur, qui scripsit: 'Adsiduo satis superque est quod facto aut dicto adeost opus quietus ne sis' (codd.: 'dicto adest opus'. Pareus et Langen: 'dictod est opus').

Semel *aut adeo* iuxta posita inveniuntur, Men. 827 R:

Quaeso, quid mihi tecumst? unde aut quis tu homo's? [sanan] tibi [Mens est] aut adeo isti, quae molestast mihi quoquo modo?

Sed cum verba manca tradita appareat et hoc loco solo *aut adeo* iuxta posita legantur, haud scio an praestet scribere servatis quae Ritschelius supplevit vocabulis: Méns est aut isti ádeo quae etc.

Eadem atque locorum quos laudavi ratio videtur eorum, in quibus *neque adeo* leguntur interposito eo vocabulo, quo gravius momentum continetur.

Asin. 762 sq.: 'Ne epistola quidem ulla sit in aedibus nec cerata adeo tabula'. Poen. IV, 2, 38: 'Nec te nec me — neque herum meum adeo'.

In vv. Men. 296:

Ego té non novi néque novisse adeó volo,

et Hec. 866:

Dic mi, harum rerum numquid dixti meo patri? || Nil || Neque opus est Adeo muttito,

in quibus plenae duae conectuntur sententiae, non enuntiati eiusdem membra, constanti illo usu respecto, e quo prisci scriptores *que* — *adeo* non adhibuerunt nisi vocabulo interposito, scribere malim: 'Néque adeo novísse volo' (cf. Poen.



III, 3, 28: 'Nec damus, neque pollicemur, neque adeo volumus datum') et: 'Néque adeo | Opus ést muttito'. Atque ut in Hec. v. sic scribamus facit quod, si codicum scriptura servatur, vocabula *opus est* et *adeo* versu dirimuntur.

Hoc quoque monendum est, *neque adeo* interposito vocabulo non legi nisi altera praecedat sententia negativa, cum *neque adeo* iuxta posita etiam inveniantur, ubi enuntiatio praecedat affirmativa.

Similis est condicio paucorum enuntiatorum relativorum. Ubi enim enuntiato alicui relativo alterum adnectitur quod gravius aliquid affert, pronomini enuntiati alterius apponitur *adeo*.

Amph. 678: 'Amphitruo uxorem salutat — quam omnium Thebis vir unam esse optumam diiudicat quamque adeo*) (id quod maius est!) cives Thebani vero rumificant probam'. Poen. I, 2, 53 sq.: 'Vis inter istas vorsarier prosedas? quae tibi oleant stabulum — quas adeo haud quisquam unquam liber tetigit'; ubi *quasque* scribendum proposuerim (sed cf. Cic., de fin. II, 12, 37). Aquil. fr. c. 2: Ut illum di perdant primus qui horas repperit quique adeo primus statuit hic solarium.

Uno loco *quia* coniunctioni *adeo* adiunctum invenitur: Cist. I, 1, 123: Quin ego nunc quia sum onusta (vel 'honesta') mea ex sententia, quiaque adeo me complevi flore Liberi, mage libera uti lingua conlubitumst mihi'. Quod si gradationem inesse in verbis concesserimus lectio *onusta* magis probanda videtur quam *honesta*. Leno: 'Conlubitumst mihi, inquit, libere loqui, quia onusta sum, qui aque cum Libero me complevi'. Fortasse huc pertinet etiam Lucil. v. 892 L: 'Quodque adeo fuerint qui temnere — superbum'.

Eodem modo eademque ratione *adeo* iuxta *sive*, *nive* particulas ponitur. Merc. 993: 'Si hercle scivissem, sive adeo ioculo dixisset mihi, se illam amare, nunquam facerem ('wenn ich es gewusst oder wenn er es auch nur im Scherz gesagt').

*) Langen non recte: *adeo* = *praeterea*.

Pac. fr. tr. 300: 'Si te regeret pudor sive adeo cor sapientia imbutum foret'. Truc. IV, 3, 59: 'Verum qui improbust si [urnas] bibit sive adeo caret temeto, tamen ab ingenio improbust'*). Amph. prol. 71: 'Seu qui ipse ambissit seu per internuntium: sive adeo aediles perfidiose quoi duint'**).

In Merc. v. 1018: 'Si quem scibimus seu maritum sive hercle adeo caelibem scortarier, cum eo nos hac lege agemus', scripserim: 'sive adeo hercle' (cf. Ritschl Op. III, p. 250), nisi vocabulum *hercle* per *adeo* intendi mavis. Rud. 1420: 'Vos ad venam vocem, ni daturus nil sim neque sit quicquam pollucti domi, nive adeo vocatos credam vos esse ad cenam foras'. Aul. 645 sq.: 'Di me perdant si ego tui quicquam abstuli nive adeo abstulisse vellem me.

Cum *adeo* his locis eadem ratione adhibitum esse atque iis quae supra protuli videamus, evinci puto falsam esse opionionem eorum qui dicant particulam cum coniunctionibus quae condicionem indicant coniunctam significare *wenn eben*, *wenn wirklich* (εἴ γε). Quod ne ea quidem re infringi potest quod in Terentii Andriae v. 440 haec leguntur: 'Num illi molestae quidpiam haec sunt nuptiae? || Nihil hercle: aut, si adeo, biduist aut tridui haec sollicitudo'. Ellipsin hic statuendam puto velut: 'si adeo res pervenit (si adeo est) ut molestae sint'. Pseuduli v. 1104, qui ad hunc particulae usum probandum afferebatur, olim iam emendatus est et sic legitur: 'nisi si admonitust' vel 'nisi est admonitus' (veteres editiones: 'nisi adeo monitus').

Quibus disputatis venimus ad alium particulae usum qui huic est simillimus. Ut enim enuntiatio aliqua plena supra modum efferebatur illa addita, sic *adeo* etiam adhiberi poterat, ut unius modo vocabuli vis intenderetur et in id praecipua converteretur consideratio. Quem particulae usum ex iis enuntiatis ortum esse crediderim, in quibus altera sententia per

*) H. A. Koch, Jahrb. 107, 420: 'si combibit, sive adeo caret temetum'.

**) cf. Luc. 259 L.: 'Gizeria insunt sive adeo hepatica'.



*que*, *aut*, *vel*, *neque* particulas adnectitur. Causae cur vocabulum aliquod maiore vi efferatur tam variae esse possunt, ut eas hoc loco omittere mihi liceat; singulis autem locis, ubi necessarium esse videbitur, eas proferam.

Haec vero lex constituenda videtur *adeo* vocabulo quod intenditur semper postponatur primum a vocabulo locum tenens oportere.

Atque primum quidem ea enuntiata enumerabo, in quibus *adeo* verbis appositum est.

Haut. v. 172: 'Egomet convivas moror; ibo adeo hinc intro'. *Ibo* verbi vis hic augetur, ut quam necessarium sit intro abire significetur. cf. Merc. 329: 'Nunc adeo ibo illuc'.

Andr. 759: 'Undest? — || A nobis || Hahae: mirum vero impudenter mulier si facit meretrix? — Adeon videmur vobis esse idonei, in quibus sic inludatis? — Propera adeo puerum tollere hinc ab ianua' (n. d. 'wirst du wohl gleich auf der Stelle').

Ph. 645: 'Immo malum hercle: ut nihil pudet! || Quod dixi adeo ei'. Haut. 565: 'Vidin ego te modo manum in sinum huic meretrici inserere? || — Men? || His oculis, ne nega. Facis adeo indigne iniuriam illi, qui non abstineas manum: nam etc.'.

Hec. 524: 'Vir ego tuos sim? 'Tu virum me aut hominem deputas adeo esse?' Phidippus mirum sibi videri dicit Myrrinam ipsum re vera deputare virum (n. d. 'du glaubst wirklich?').

Huc pertinet etiam Hec. v. 695: 'Confingis falsas causas ad discordiam, ut cum illa vivas, testem hanc cum abs te amoveris: sensitque adeo uxor. nam etc.'. Enuntiatio per *que* adnexa hic non gravius aliquid addit ut iis quos supra protuli locis, ubi *que adeo* coniuncta leguntur. *Adeo* hic artissime cum *sensit* vocabulo componendum est, ita ut notionem vocabuli intendat. Laches id potissimum premit, sensisse uxorem virum falsas confingere causas.

Apud Plautum duo exstant huius usus exempla:

Merc. 60: 'Interdum mussans conloqui abnuere: negitare

adeo me natum suum', quo loco Langenius *adeo* verbis *dazu, noch dazu* non recte interpretatur. *Adeo* particula verbo *negitare* addita summa eius qui loquitur indignatio significatur.

Alter locus est Rud. v. 1388: 'Dandum huc argentumst probum: id ego continuo huic dabo adeo me ut hic emittat manu'. Fleckeisenus, Handius, Holtzius, Freundius, Langenius post *dabo* interpunxerunt, cum *adeo ut* interpretarentur vocabulis: *in der Absicht dass, zu dem Zwecke dass.* Sed errasse videntur, quia nullo modo probari potest *adeo* apud priscos quidem scriptores idem valere atque *eo consilio**). Loci enim qui afferuntur ad hanc particulae notionem comprobandam alius sunt condicionis. In Aulullariae enim v. 739: 'Id adeo te oratum advenio, ut animo aequo ignoscas mihi', *adeo* pronomen *id* intendit et enuntiatum secundarium ex verbo orandi pendet. Eodem munere fungitur *adeo* in Cas. v. III, 3, 6. In St. v. 701: 'Abi tu sane superior. atque adeo ut tu scire possis pacto hoc tecum divido etc.', vidimus *adeo* cum *atque* esse coniungendum et significare gradationem. De Aul. v. 433 infra videbimus. Equidem Holtzio et Klotzio (Lex.) auctoribus post *adeo* in Rudentis illo versu interpungendum censeo, ita ut particula *dabo* verbum cum vi efferat. Argentum dandum esse Gripus dicit; quod cum necessarium sit, nunc iam se id daturum praedicat. *Adeo* hoc loco eadem ratione positum est atque in Haut. illo versu 172 quem supra laudavi.

Quibus locis respectis haud scio an probabiliter in Militis v. 1381, ubi versus mancus esse videtur, scribendum sit: 'Me quaérit illic: íbo [adeo] huic puero óbviam' ('ilico hinc puero' B. 'illic ibo huic puero' rell.).

S u b s t a n t i v i s adiungitur *adeo* his locis. St. 215: 'Prae maerore adeo miser atque aegritudine consenui'. Gelasimus hoc potissimum premit se prae maerore consenuisse.

St. 664: 'Ibi voster cenat cum uxore adeo et Antipho'. Stichus cum vi quadam etiam uxorem, quod mirum sit, convivii sociam esse praedicat. Eun. 204: 'Spero fratrem propemodum iam repperisse, adolescentem adeo nobilem'. Thais praedicat fratrem esse adhuc adolescentem et eum quidem nobilem.

*) Langen ipse p. 141 dicit: 'Eine sichere Entscheidung ist schwer'.



Merc. 232: 'Posterius quam mercatus fueram (capram), visus sum in custodelam simiae concredere. Ea simia adeo post haud multo ad me venit'; ubi Langenius *adeo* cum *ea* pronomine coniungi vult. *Adeo* hic mea quidem sententia substantivo *simia* additur, ut in simiam nunc omnis convertatur consideratio; cuius quidem usus plura inveniemus exempla, ubi de particula pronominibus addita disputabimus.

Similis est condicio particulae in vv. Merc. 104: 'Postridie hospitem adeo oro, ut vendat mihi', nisi cum Ritschelio post *adeo* interpungere et *adeo* pro verbo accipere mavis; et Cas. III, 3, 5: 'Quem hercle litem adeo perdidisse gaudeo'.

Iuxta alia vocabula, a d i e c t i v a, n u m e r a l i a, a d v e r b i a *adeo* positum legitur his locis: Stat. Caec. fr. c. 101: 'Mirum adeo nisi frater domi ebrius turbam dedit' ('es wäre ganz wunderbar'); cui loco quam proxime accedit Capt. v. 824: 'Edictiones aedilicias — habet —: mirumque adeo ni hunc Aetoli sibi fecere agoranomum', i. e.: 'ita ut maxime mirum sit ni etc'.

Haut. 109: 'Nulla adeo ex re istuc fit nisi'; quo loco respecto in Bacch. v. 315, ubi ex coniectura Hermanni leguntur:

Sed nílne [huc] attulístis inde aurí domum,

pro *huc* scripserim *adeo;* quae coniectura mihi lenissima videtur, cum vocabulum proximum ab *at* literis incipiat.

St. 212: 'Quot adeo*) cenae quas deflevi mortuae'! cf. Luc. XXX, 892. Most. 280: 'Verum illut esse maxuma adeo pars vostrorum intellegit'; ubi Langenius 'maxuma id adeo pars' scribere vult. Amph. 1134: 'Quae futura et quae facta eloquar, multo adeo*) melius quam illi quom etc.'. Truc. II, 1, 6: 'Verum aput hunc mea era sua consilia summa eloquitur

*) Langen non recte: *adeo* = *ad haec.*

libere, magisque adeo consiliarius hic amicus est quam auxiliarius' (quem locum Reinhardt, Stud. Studien I, 102 spurium esse declarat) [cf. Cic. de orat. II, 4, 15]. Hec. 220: 'Minumeque adeo mirum'. Hec. 240: 'Et merito adeo' ('und ganz mit Fug und Recht'). Ph. 679: 'Opportune adeo argentum nunc mecum attuli'. Truc. I, 2, 101: 'Immo adeo ut nuntiatumst, iam hic adfuturum aiunt eum' (*adeo* Z. *abeo* ACD. *abeae* B; Langenius Kisslingium secutus (Jahrb. 97, 627) lectionem *ab eo* retinet). Cas. V, 4, 23: 'Si unquam posthac aut amasso Casinam aut occepso modo nedum amasso, si ego unquam adeo posthac tale admisero'. Haut. 54: 'Quamquam haec inter nos nuper notitia admodumst (inde adeo quom agrum — mercatus es)', 'gerade von der Zeit an wo' (cf. Verg. Ecl. IX, 59). Amph. 982: 'Haec curata sint fac sis, proinde adeo ut velle med intellegis'. Hec. 201: 'Utin omnes mulieres eadem aeque studeant nolintque omnia — itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus'. Ad. 710. Men. 718: 'Itaque adeo*) iure coepta appellarist Canes'. Aquil. fr. c. 8. Afran. fr. c. 110 (cf. Cic. de leg. II, 10, 23: 'ergo adeo').

In Eunuchi v. 311 sq., ubi libri exhibent:

Fac sis nunc promissa adpareant.
Si ádeo digna rés est, ubi tu nérvos intendás tuos,
Haud símilis virgost vírginum nostrárum,

omnes fere editores ut hiatum tollerent *sic adeo* pro *si adeo* scripserunt. Quam quidem coniecturam non probaverim, quamquam concedo *sic adeo* suo iure dici posse aeque atque *inde adeo*, *itaque adeo*. Neque enim satis persuasum habeo verba sic adeo etc.' pro epiphonemate accipi posse, cum *sic* nusquam hoc modo apud priscos scriptores positum inveniatur Ps. v. 1129 excepto: 'Malum quod tibi di dabunt: sic scelestu's', ubi lectio incerta est, cum codices aliam alius exhibeant lectionem (*di* om. CDFZ — *ni sic* B — *nisi* CD *ut* FZ); neque *sic* ita intellegi potest, ut ad ea quae sequuntur

*) Langen non recte interpretatur: 'vel iure'.



spectet, cum enuntiata, in quibus *sic* hac ratione adhibetur, alius sint prorsus condicionis. Donatus et Eugraphius *sive adeo* in libris invenisse videntur, quorum prior locum sic interpretatur: 'Fac si vis nunc sive adeo digna res est'; ita ut sit *sis* pro *si vis* cf. Asin. 683. Quae lectio sensum aptum non efficit. Equidem locum reconditiore aliqua laborare corruptela putaverim; quod quidem eo probari mihi videtur quod Donatus testis est versum 312 in quibusdam codicibus non legi. Scribendum propono: 'haec adeo digna res est etc.'.

Haut raro Plautus et Terentius *adeo* particulam *nunc* adverbio adiunxerunt. Atque formula hac is utitur qui iam plura verba locutus orationem finit cum edicit, quid nunc iam facturus sit vel quid fieri velit. Qua re *nunc adeo* locutioni etiam locus est, si quis minas iacit. Asin. 530 sq.: Ecastor nobis periclum et familiae portenditur, dum eius exspectamus mortem, ne nos moriamur fame. Nunc adeo nisi mi huc argenti defert viginti minas, ne ille ecastor hinc trudetur — foras. Truc. II, 2, 12. Rud. 728. Ps. 143. 855. Andr. 775. Eun. 806. Rud. 139. Cas. III, 2, 4. Merc. 329. Trin. 855. Curc. 715. Ad. 989. Men. 119. Ps. 185. Mil. 159. Tit. fr. c. 63.

Iam restat, ut ea enumerem exempla in quibus *adeo* pronominibus postpositum est, ut maiore ea vi efferantur.

Primum quidem ea profero, in quibus particula pronominibus personalibus adiuncta est, velut in Mil. v. 1192: 'Ille iubebit me ire cum illa ad portum: ego adeo ut tu scias prorsum Athenas abibo'. *Ego* hoc loco intenditur, quia pronomini *ille* cum vi opponitur.

Similis est condicio horum: Truc. IV, 3, 74: 'Abduce — ego adeo iam illi remittam nuntium'. Bacch. 829: 'Libertatem Chrusalo largibere: ego adeo nunquam accipiam'.

Quo particulae usu respecto scribendum propono in v. Trin. 590, ubi metrum non stat:

'Tu istúc cura quod jússi, ego [adeo] iam híc ero' (R: [*eo*] *tu* — *quod* [*te*])

et in Trin. 818:

'Ego [adeo] igitur íntro [eo] ad ófficium meúm' (R. *eo ego* [*ergo*])

et in Amph. v. 1035:

'Vós inter vos pártite: ego [adeo] ábeo, mihi negótiumst' (Fl. *vos* [*ista*]).

Trin. 203: 'Nil est profecto stultius quam urbani adsidui cives quos scurras vocant. Atque egomet me adeo cum illis una ibidem traho', ubi *adeo* indignantis est.

Eun. 247: 'Hoc novomst aucupium: ego adeo hanc primus inveni viam'. *Ego adeo* hic est gloriosius de se praedicantis, ut etiam in Bacch. v. 968: 'Pugnam conserui seni: eum ego adeo uno mendacio devici'.

Rud. 1199: 'Eam de genere summo adulescenti dabo — | Eum ego adeo arcessi huc ad me quam primum volo', ubi haud scio an praestet *ego* pronomine deleto: 'Eum adeo arcessi huc' scribere, cum Daemones, qui antea de filia locutus est, ad adulescentem transit et in eam convertit considerationem.

Stat. Caec. fr. c. 34: 'Iam me adeo manta, iam hoc vide'. Andr. 579: 'Qui scis eos nunc discordare inter se? || Ipsus mihi Davos — dixit. — Tute adeo iam eius verba audies'. Ps. 215: 'Ibi tibi adeo lectus dabitur, ubi tu hau somnum capias' ('da wird dir und keinem andern'). Rud. 731: 'Ita ego te hinc ornatum amittam tu ipsus te ut non noveris. vos adeo — ni caput exoculassitis' etc. Ad. 797: 'Ex te adeo est ortum'.

*Adeo* fortasse restituendum est in v. Bacch. 495:

'Sérva tibi sodálem et mi [adeo] fílium' (R. *mi* [*autem*]).

Particulam pronominibus demonstrativis et determinativis appositam interpretamur plerumque vocabulis *gerade*, *sogar*, *eben*, aut vocem magis intendimus pronuntiando.

St. 176: 'Propter pauperiem hoc adeo nomen repperi'. Hec. 821. Ad. 629. Mil. 1295: 'Hoc adeo fieri credo consuetudine'. Haut. 1054. Merc. 1024: 'Haec adeo edico ex hac nocte primum ut lex teneat senes'. Naev. fr. c. 10. Hec. 690: 'Cui tu obsecutus facis huic adeo iniuriam'. Amph. 254. Eun. 233. Ph. 944.

Amph. 468: 'Ille adeo illum mentiri sibi credet.



In Epid. v. 705 *iste* pronomini *adeo* ex coniectura adnexum est et leguntur in veteribus editionibus: 'Istis adeo te tetigi triginta minis' (Uss.: 'Iste, fateor, tetigi tr. m.', Goetz: 'Istam ob rem te tetigi tr. m.').

Epid. 166 sq.: 'Plerique homines quos quom nil refert pudet, quom usust ut pudeant, ibi eos deserit pudor. Is adeo tu's'. Aul. 290: 'Vicini huius Euclionis hinc e proxumo (sc. ducit filiam). Ei adeo obsoni hinc dimidium iussit dari'.

Ad. 40: 'Atque ex me hic natus non est sed ex fratre. Is adeo
Dissimili studio est iam inde ab adulescentia'.

Sic Umpfenbachius locum scripsit secundum codices omnes uno excepto Bembino (Donatus quoque iam versum sic legit). *Adeo* pronomini *is* additum est, quia in fratrem transit oratio. Fleckeisenus Bembinum, cuius lectio a correctore recenti inducta videtur, secutus pro *is adeo* exhibet *ex meo*.

Rud. prol. 36. Ph. 645. Amph. 952. Most. 477: 'Scelus factumst iam diu antiquom et vetus: id adeo nos nunc factum invenimus'. Epid. 53. Aul. 623. Aul. 739. Epid. 215. Andr. 162.

Haut. 1004: 'Aliquid gnato conficies mali: idque adeo miror etc.'. Eun. 545: 'Idque adeo visam'. Poen. III, 5, 36: 'Idque adeo inest'. Andr. 585: 'Idque adeo metuens vos celavi'.

Fortasse *adeo* etiam aptius legendum est in Merc. v. 547:

'Breve réliquom iam vítae spatiumst: [id adeo]
Voluptáte, vino, amóre delectávero', (R.: *id igitur*).

et in Bacch. v. 269:

'Habétin aurum? Id [ádeo] mihi dicí volo (R.: *primum*).

Pronomini *ipse* adiecta est *adeo* in vv. Haut. 804: 'Ipse adeo adest: abi', et Andr. 415: 'Ipsum adeo praesto video', et Asin. 403: 'Atque hercle ipsum adeo contuor'.

In enuntiatis quae hucusque laudavi vidimus *adeo* particulam non poni nisi certissimis legibus. Iam restat ut de paucis quaeratur locis, quibus ita posita invenitur, ut op-

timo iure putare nobis videamur eos esse depravatos et emendatione egere.

Atque ut ad versum illum Mostellariae, unde profecti sumus, redeamus, cum nihil esse causae viderimus, cur *adeo* particulae notionem: 'ad haec', 'praeterea' vindicemus, equidem codices FZ secutus proposuerim scribere: 'Ab eo etiam faenus creditum audio'.

Alter locus est Aul. vv. 440. 441, ubi codices hanc exhibent lectionem:

Merito id tibi factum est.
Adeo ut tu meam sententiam iam noscere possis.

*Adeo* hoc loco ferri non potest, cum non habeat quo referatur. Qua de causa aliam alii proposuerunt lectionem, velut Wagnerus *at* pro *adeo* (cf. Poen. V, 2, 69: 'At ut scias nunc'), Brixius *atque adeo* collato St. v. 701: 'Atque adeo ut tu scire possis', qui alius est condicionis' (cf. p. 26). Equidem Curculionis v. 715 simillime conformato ('Nunc adeo ut tu scire possis, leno, meam sententiam') respecto scripserim servatis lectionibus *tu* et *noscere, iam* deleto, quod ex dittographia ortum esse potest ex praecedenti *sententiam*:

'Nunc ádeo ut tu senténtiam meam nóscere possis',

aut Langenio duce:

'Nunc ádeo ut meam senténtiam iam scíre possis'.

Eun. 744:

Scín tu turbam hanc própter te esse fáctam? et adeo ad te áttinere hanc
Omnem rem?

Hoc loco solo *et adeo* leguntur. Equidem, cum gradationem inesse in altero enuntiati membro non intellegam, *adeo* deleto et Bembini lectione *pertinere* pro *attinere* servata, scribendum propono: 'fáctam? et ad te pértinere hanc | Omnem rem'. Facillime fieri potuit, ut *adeo* in textum irreperet, cum iisdem incipiat litteris atque *adtinere*, quod in reliquis codicibus legitur.



St. 77:

Principium ego quo pacto cum illis occupiam, id ratiocinor:
Utrum ego perplexim lacessam oratione ad hunc modum,
Quási nunquam quidquam ádeo adsimulem, an quási quid indaudíverim.

Consentio cum Langenio *adeo* hic ferri non posse. Neque enim cum *quidquam* vocabulo coniungi potest, ut maiore id vi efferat, neque gradum significare potest. Accedit ut codices omnes uno excepto *in eas* pro *adeo* exhibeant. Quibus de causis hanc lectionem servandam esse putaverim, nisi cum Langenio locum reconditiore laborare corruptela credere males.

**Poen. IV, 2, 47.**

Diespiter me sic amabit || Ut quidem edepol dignus es.
|| Ut ego hanc familiam interire cupio.

Hoc loco solo apud Plautum *sic* sequente *ut* particula in iuramento legitur; ut etiàm in Terentii Haut. v. 463: 'Sic me di amabunt, ut me tuarum miseritumst, Menedeme, fortunarum'; quamquam monendum est in Haut. versu codices etiam *ita* exhibere (*sic me* A, manus secunda supra scripsit *ita*, *ita me* DG). In Poen. v. *sic* habet aliquid excusationis, quia oratio ab altero continuatur.

**St. 471. 472.**

Cenem illi apud te? || Quoniam salvos advenis ||
Locatast opera nunc quidem: tam gratiast.

Hic habes formulam sollemnem abnuendi 'tam gratiast', quae legitur etiam in vv. Men. 387: 'Eamus intro, ut prandeamus|| Bene vocas: tam gratiast' (*tam* BCD *tamen* FZ), Ps. 713: 'Quin tu, quod opus est, mi audacter imperas? || Tam gratiast' (*tam graciam* B. om. rell. In A nihil nisi *rat* apparuit), Merc. 948: 'Ut valuisti? quid, parentes mei valent? Tam gratiast: bene vocas, benigne dicis' etc. (ex coniectura Ritschelii!).

Alii alio modo *tam* quod hac in formula legitur intellexerunt. Sic Ribbeckius (Lat. Partic. p. 28) versu illo Horatiano qui in epist. I, 7, 18 legitur: 'Benigne .... tam teneor

dono, quam si dimittar onustus', respecto ellipsin in verbis tam gratiast' statui voluit, ita ut enuntiatum aliquod correlativum suppleatur velut 'quam si accepissem quod offers'. Ladewigius (Z. f. A. 1842 p. 1070) et Holtzius (I, 2, 229) *tam* 'cum manuum motu pronuntiatum esse putant quo indicetur, quam magnas aliquis gratias pro re quadam agat'. (Lorenzius conferri vult quod sermone Italorum qui nunc sunt dicitur: *Tante grazie!*) Alii denique *tam* ita intellexerunt, ut *tamen* particulae adversativae vicem obtineat.

Qua de re priusquam decidere possimus, necessarium mihi videtur uberius de adversativo particulae *tam* usu disputare, de quo multum iam disceptatum est neque certius aliquid discriminis usque adhuc allatum video.

*Tam* adversativa cum vi a priscis scriptoribus esse positum Festus p. 360 testatur, cum dicit: 'At antiqui tam etiam pro tamen usi sunt'; quod ut probet quatuor profert exempla ex scaenicis poetis sumpta. Atque verum esse quod docuit, cum inde confirmari videtur, quod codex Ambrosianus in St. v. 44: 'Etsi illi inprobi sint atque aliter nos faciant quam aequom sit, tam pol noxiae ne quid magis sit, omnibus obnixe opibus nostrum nos officium meminisse decet', *tam* exhibet*), tum inde quod usque ad posterioris aetatis scriptores *tam* in composito *tam etsi* adversativam sibi vim vindicat.

Iam si quaerimus, quid ii qui particulam attigerunt de ea docuerint, haec fere invenimus: Ritschelius (Trin. prol. 142. 143. Rh. Mus. XIV, 399. cf. opusc. IV p. 405. V, p. 389), cum *tamen* apud scaenicos poetas nonnunquam ita positum inveniatur, ut unius modo syllabae vel pyrrhichii mensuram (cf. Müller, Plaut. Pros. p. 148) aequet, *tam* illud breviatam esse formam et natum esse ex *tame* quod correptione ex *tamen* factum sit confirmat. Quae sententia etiam multis probatur qui linguarum comparationi quae dicitur operam navant

*) Non me fugit in inscriptione quadam *tam* etiam hac cum vi inveniri (cf. Orell. 4360. Ritschl. Rh. M. 1859 p. 399); sed cum etiam alias mendosissime illa sit descripta (cf. Corssen, Beitr. p. 275) jure suspicamur, scriptoris *tam* illud esse mendum.



(cf. Aufrecht, Z. f. vgl. Sprachw. I, 85. Schweitzer, ib. IV, 304. VIII, 234. XIII, 311. Curtius, ib. VI, 84. Benfey, ib. VII, 127. Lottner, ib. VII, 163. Schuch, ib. I, 117). Corssenus vero (Krit. Beitr. p. 272 sq., Ausspr. I² p. 248) censet *tamen* et *tame* esse nata ex *tam* et *tam* in locis quos Festus affert peculiarem suam sibi servare notionem (*so!*). Nuperrime Joh. Kvíčala (Wiener Studien 1879 p. 147 sq.) de particulis *tam* et *tamen* disseruit et docuit primitivam utriusque particulae vim esse *so sehr*. Iam ipsius verba afferam: 'Notwendig muss man annehmen, dass der Begriff so sehr eine natürliche Verschärfung und Hervorhebung erfuhr, so zwar, dass man *tam*, *tamen* in der Bedeutung 'ebenso sehr, gleich sehr' fühlte. Der Gedanke des Satzes, in dem *tamen* vorkommt, steht zu dem vorangehenden im Verhältnisse des Gegensatzes und Widerspruchs; es wird angedeutet, dass der mit *tamen* bezeichnete Gedanke ebenso (nichtsdestoweniger) stattfindet als der früher erwähnte, was ein Hindernis sein sollte, nicht stattfände'. Quae cum dicit vir doctus rem acu tetigisse putandus est. Quid enim obstat quominus *tam* illud in versibus quos Festus laudat pro particula comparativa accipiamus? Quod si apud Titinium fr. c. 157 legimus: 'Quamquam estis nihili, tam ecastor vobis consului', locum sic interpretari licet: 'eodem modo atque nihili estis, eodem simul vobis consului (atque si probi essetis')*). cf. Capt. 543: 'Equidem tam sum servus quam tu, etsi domi liber fui'. Eadem ratione *tam* etiam in altero Titinii versu fr. c. 156: 'Bene cum facimus, tam male subimus'; in Naevi fr. c. 130: 'Quid si taceat, dum te videat, tam etiam sciat quid scriptum sit' (sc. quam si loquatur), et in Stichi illo versu accipiendum est. Ennii versus (tr. rell. V. 910): 'Illae meae tam potis pacis potiri', in censum vocari nequit, quia apparet locum non verbo tenus traditum esse, ita ut de sententia certi nil concludi possit.

Huc accedit aliud quod gravioris mihi momenti esse videtur ad sententiam nostram confirmandam. Quod si enim

*) cf. quod nos dicimus: *gleichwohl.*

locos quibus *tametsi* et *tamen etsi*, vel inverso ordine *etsi — tamen (etsi — tam)* apud priscos scriptores inveniuntur inspexeris, videbis *tamen* non esse positum nisi certissimis legibus*).

*Tamen* tum modo scriptum legitur, si singulae particulae versu dirimuntur aut si *tamen* sententiae concessivae postpositum ad extremum versus locum reicitur, velut in vv. Cas. V, 3, 15:

'Vapulo hercle invitus tamen
Etsi malum merui'.

Mil. 1209. 10: 'Postremo tamen
Etsi istuc mihi acerbumst, quia ero te carendumst optumo
Saltem id volup est' —

Capt. 742: 'Etsi pervivo usque ad summam aetatem, tamen
Breve spatiumst perferundi quae minitas mihi'.

Haut. 225. 226 U:

'Hic Clinia, etsi is quoque suarum rerum sat agitat, tamen
Habet bene et pudice eductam, ignaram artis meretriciae' (Fl. male: sat agit, tamen habet)

aut si *tamen* non proximum a sententia concessiva locum obtinet, velut in Hec. vv. 243: 'Etsi scio ego — meum ius esse,

*) *Tam etsi* his in versibus legimus:

Amph. 977: 'Audis quae dico tam etsi praesens non ades'. Aul. 768: 'Tam etsi fur mihi es, molestus non ero' Curc. 259: 'Tam etsi non novi dabo'. Mil. 744. St. 41. 205. Aul. 768. Amph. prol. 21. Men. 91 Ps. [244] 471. Merc. 595. Capt. 321. Andr. 348. Eun. 216. 316. Ph. 428. Poen. V, 4, 32. I, 2, 129. Enn. fr. tr. 165 (?) cf. Luc. L. 152. 775.

Cum codicibus *tam etsi* restituendum videtur in vv. St. 27: 'Tamen (Fl. *tam*) si faciat minume irasci decet' (A exhibet *tam etsi*), Trin. 679, ubi Ritschelius in prima editione (1848) scripsit: 'Facile inventust: datur ignis, tamen etsi ab inimico petas' nunc Brixium ut videtur secutus exhibet: 'Fácilest inventú: datur ignis tam étsi ab inimicó petas'. Etiam in Pers. vv. 361 sq.: 'Erus si minatus est malum servo suo | Tamen sí daturus nón est, ubi captúmst flagrum | Dum tunicam is ponit quanta afficitur miseria', *tam etsi* scribere praestat (cf. codd.).



ut te cogam quae ego imperem facere: ego tamen patrio animo victus faciam, ut' etc.; —
aut si sententia non plena est, velut in vv. Most. 1167: 'Verberibus, lutum, caedere pendens || Tamen etsi pudet?' et Andr. 864: 'Ego iam te commotum reddam || Tamen etsi hoc verumst? || Tamen'.

Quibus locis respectis optimo mihi iure hanc legem constituere videor: *tam* tum modo adversativa quadam cum vi a priscis scriptoribus esse positum et poni potuisse, ubi ex structura ipsa iam enuntiatorum satis appareret alteram sententiam alteri ex adverso opponi; *tamen* vero particulae locum fuisse, ubi necessarium videretur animum eius qui audit intendi id quod ex aequo apponitur ex adverso opponi. Qua de causa *tamen* particulae ubique locus est, si non praecedit vel subsequitur enuntiatio *etsi*, *quamquam*, *dum*, *cum* particulis vere concessivis elata, aut si particula non proximum ab sententia concessiva locum obtinet, velut in Asin. v. 497: 'Quamquam ego sum sordidatus, frugi tamen sum nec potest peculium enumerari'.

Quae cum ita sese habeant, non dubito quin errent qui dicant *tam* illud factum esse ex *tamen*. Dixerim *tamen* particulam adversativam tum demum inventum esse, cum *tam* ex enuntiationum, in quibus poneretur, natura adversativam quandam induerat notionem, novaeque huic particulae peculiarem sedem fuisse in sententiis in quibus ex formatione ipsa enuntiatorum colligi non posset alteram sententiam alteri opponi. Qua de causa Corssenum (Beitr. 279) recte iudicasse putaverim *en* illud particulae adnexum syllabam demonstrativam *en (da! siehe da!* cf. *ἠνί* Corssen, Ausspr. II², 636) esse et eo fungi munere, ut animus eius qui audit advertatur magis ad ea quae dicantur. Quod Kvíčala monuit *en* illud pro particula illa demonstrativa haberi non posse, nullius mihi momenti esse videtur, cum saepius syllabas longas usu cotidiano correptas esse constet. cf. *nisi*, *quasi*, *ubi*, *ita* (vide Ribb. Lat. Part. 50. Brix, Trin. Einleit. p. 13).

Sed novum quoque argumentum exstat quo optime illustretur *tam*, ubi adversativi *tamen* vice fungi videtur, non esse correptum ex *tamen* et comparativam re vera esse particulam. In Militis enim versibus 627. 628, ubi editiones exhibent: 'Itane tibi ego videor oppido Acheruntícus? tam capularis? tamne tibi diu videor vitam vivere?' codices CD exhibent: *capularistamine*, FZ: *capulari stamine*, B: *copularis tam me*, quod corruptum esse videtur ex *tamine* illo quod reliqui codices praebent. Neminem adhuc cogitavisse video de hac codicum lectione retinenda Plautoque restituenda. *Tamine* enim, quod hoc loco*) invenimus, quid aliud est nisi *tame* illud, quod Festus p. 360 etiam in carmine positum esse pro *tam* testatur, cum *ne* dubitativo compositum, quale factum est *sicine* ex *sice ne*, *tutin* (Mil. 290), *nuncine*, *usquin* (Most. 434), *quippini*, *antidea*, *servirin* (Men. 795 R), *facilin* (928), etc. (cf. Ribb. Beitr. p. 51). Atque aeque ut *sice*, unde *sicine* ortum est, primigenia particulae forma est, itidem haud scio an *tame* prius sit quam *tam*. Quod ut credam etiam eo adducor, quod in reliquis particulis comparativis stirpi pronominali a qua ductae sunt semper adnexa invenitur syllaba, quae demonstrationem exprimit et eo fungitur munere, ut oculis vel auribus significetur relationem ac similitudinem inter duas intercedere res. Procedentibus temporibus, postquam *tame* ab usu remotum est et *tam* solum et unum in usu esse coepit, factum videtur, ut *ne* dubitativum simplici *tam* adnecteretur, unde, cum litera *m* in extremitate dictionum obscura sonaret**), *tanne* illud ortum est quod Paulus (exc. Fest. p. 358) apud Afranium (fr. c. 412: 'Tanne arcula tua plena est aranearum') legi testis est. Sed haec hactenus. Iam illuc unde orsi sumus redeamus.

*) In Merc. quoque v. 172, ubi codices *tandem* exhibent et editores aliam alii proferunt lectionem, haud scio an scribendum sit: 'Tamine indignus videor'? et in Ps. v. 472: 'Mihin domino servos tu suscenses? Tamin tibi mirum id videtur' (Löwe, anal. Plaut. p. 168 docuit *tam* in codice A scriptum esse, rell. exhibent *iam*).

**) Quint. IX, 4, 40. VIII, 3, 45 Priscian, Donat, Ad II, 1, 53. Cic. orat. 45, 145. Velius Longus p. 2236 P.



Quod si verum est, quod demonstrasse mihi videor, *tame* particulam ab initio fuisse comparativam, diluitur eorum opinio qui putent *tame* ex correptione esse factum ex particula adversativa *tamen*, et evincitur *tam*, ubi in sententiis adversativis legitur, meram particulam esse comparationis. Cui sententiae magnum mihi adiumentum inde parari videtur, quod particulae *tam etsi* coniunctae ubique fere ita sunt in versu pronuntiandae, ut duarum modo syllabarum aequent mensuram et primae duae syllabae in unam corripiantur; quod fieri non potuisse putaverim, si *tam* ex *tamen* esset correptum*).

Duo modo loci constanti quem dixi usui repugnant, de quibus videamus.

In Curc. vv. 503. 504 leguntur:

> Qui cónstitit, culpánt eum, conspúitur, vituperátur,
> Eum rém fidemque pérdere, tam etsí nil fecit, áiunt.

Quae si codicum scriptura vera esset, ultima *perdere* vocis syllaba vel *tam* produceretur necesse esset; equidem hic *tamen*, quod Bothius uno in codice legi testatur, scripserim, quod optime huc quadrare puto. *Aiunt* enim verbo addito significatur verba 'tamen etsi nil fecit' proverbii loco dici. Habemus igitur enuntiationem aliquam non plenam, in qua *tamen etsi* particulis locum fuisse ex vv. Andr. 864 et Most. 1167, quos supra laudavi, apparet.

Alter locus est Ps. v. 244 R:

> Redi ét respice ád nos. tam étsi occupatu's,

ubi iam Fleckeisenus recte scripsit: 'tam etsí's occupatus'; cuius lectionis vestigia in codice B latere haud scio an suspicari possimus: *et sio cupatus*.

Iam cum probaverimus priscos scriptores *tam* particulam comparativam etiam in adversativis enuntiationibus, sed non nisi certissimis sub legibus posuisse, quid est quod dubitemus ubique *tam* illud pro *tamen*, quod in libris manuscriptis legitur, substituere, nisi iustae afferri possint causae?

*) Ritschelius *tam et* syllabas ita pronuntiari vult, ut aliquo modo extrita brevi vocali *a* una tantum syllaba audiatur; id quod ipse et Fleck. quadam nota singulari sic significaverunt: *tăm etsi*.

Restituendum *tam* videtur in vv. Rud. 1350:

'Tam fíet etsi tú fidem serváveris' (cf. Bothe, Fleck.).

Cas. II, 6, 69:

'Intro abi et quamquam hóc tibi aegrest tám fac accurés || Licet' (cf. Bothe).

Mil. 1354. 55:

'Quamquam alios fideliores semper habuisti tibi,
Quám me, tam tibi hábeo magnam grátiam rerum ómnium' (cf. B. Br. Fl.).

Rud. 382—384:

'Etiam qui it lavatum
In balineas, quom ibi sedulo sua vestimenta servat
Tam súbrupiuntur' (cf. Fl.).

Most. 858. 859:

'Serví qui quom cúlpa carént, tam malúm
Metuónt, hi solént esse utíbiles erís'.

Afran. fr. c. 124. 125:

'Quamquam istaec malitiosa non tam calleo,
Tam nón fefelli' (cf. B.; libri *tamen non f.*, Ribb. *tamén f.*)*).

Cato origg. lib. IV, 7 J. p. 19, 10: 'Nam ita evenit, cum saucius multifariam ibi factus esset, tam vulnus capiti nullum evenit' (*tam* Reg., *tamen* Vat., *tum* Rott.).

Cato orat. rell. J. p. 33, 5: 'Atque quamquam multa nova miracula fecere inimici mei, tam nequeo desinere mirari eorum audaciam'.

Retinendum vero est *tamen* in vv. Poen. I, 1, 68:

'Quamquam Cupido in corde vorsatur, tamen
Tibi auscultabo'!

Most. 766:

'Immo edepol vero, quom usquequaque umbrast, tamen
Sol semper hic est'.

*) In Pac. v. fr. tr. 206 scribendum proposuerim: 'Di me étsi perdunt, tam ésse adiutam [mé] petunt' (*petunt* codd.), et in Tit. fr. c. 119: 'Etsi tacebit, tam gaudebit'.



Rud. 1124:

'Vidi petere miluom, etiam quom nihil auferret, tamen',

quia his locis particula ad extremum versus locum reiecta est et optime illa versus terminatur.

In vv. Haut. 53 sq.: Quamquam haec inter nos nuper notitia admodumst — | Inde adeo quod agrum in proximo hic mercatus es — | Nec rei fere sane amplius quicquam fuit: | Tamen vel virtus tua me vel vicinitas — | Facit ut te audacter moneam'; et Curc. 465. 466: 'Quamquam cum istoc mihi negoti nihil est (ipsi Phaedromo | Credidi), tamen adservabo', — *tamen* ideo positum videtur, quia parenthesis intercessit, ita ut acriore adhortamento opus esset ut animus audientis adduceretur ea quae dicerentur ex adverso opponi.

Etiam in vv. Asin. 497. 498: 'Quamquam ego sum sordidatus, frugi tamen sum', Cist. III, 3. Pers. 655. Amph. 542. Rud. 534. St. 745. Eun. 243, praeterquam quod in compluribus particula versum terminari apparet, *tamen* ideo retinendum est, quod non proximum ab enuntiatione concessiva particula locum obtinet. In Attii v. fr. tr. 234: 'Probae etsi in segetem sunt deteriorem datae Fruges tamen — enitent', post *datae* interpungo.

Nunquam deinde *tam* adversativa cum vi adhiberi potuit, ubi oppositio quae efficitur alia iam particula significatur, velut *etsi — verum tamen* Ph. 407; *etsi — sed tamen* Pers. 602: *quamquam — verum tamen* Eun. 173;

aut si particula sententiae concessivae ipsi inseritur, velut in vv. Amph. 491: 'Quamquam, ut iam dudum dixi, resciscet tamen Amphitruo omnem rem', et Haut. 119;

aut si post sententiam simplici *si* vel *ut ut* [*quanta quanta*] vocabulis elatam positum est, velut in vv. Mil. 747. 748: 'Si illis aegrest mihi quod volup est — tamen id quod odiost faciundumst', Curc. 5. 6: 'Si status condictus cum hoste intercedit dies, tamen est eundum', Mil. 189, Truc. IV, 3, 59, II, 7, 13, Capt. 224, Cist. I, 1, 69, Caec. fr. c. 144, Iuv. fr. c. 4, Luc. L. 148, 671, Cato. J. p. 83, 6. (Poen. prol. 51), Ph. 531: 'Sed ut ut haec sunt, tamen hoc faciam, [Ph. 904:

'Quanta quanta haec mea paupertas est, tamen adhuc curavi unum hoc quidem, ut' etc.] cf. Cato de r. r. 157.

Reliquis qui restant locis quibus Fleckeisenus, Bothius, Lorenzius Ritschelius Goetzius *tam* scribendum proposuerunt iure nostro *tamen* retinere nobis videmur, cum non praecedat vel subsequatur sententia particulis vere concessivis elata, velut in Capt. v. 297: 'Haec tu eadem si confiteri vis, tua e re feceris, quae tamen scito scire me ex hoc' (B. Fl.: *tam)*, [quem ad locum conferas vv. Trin. 1164, Poen. I, 2, 70 (ubi Lorenzius et Bothius *tam* scribi volunt), Pers. 275, Rud. 1311, St. 645, quibus in versibus *tamen* in enuntiatis relativis invenitur]. Asin. 487 (Fl.). (Truc. IV, 3, 59 (L.).) Epid. 585 (B. L. G.).

Etiam in Rud. vv. 1345 sq. Fleckeisenus non recte scripsit:

'Si defraudassis, dic ut in quaestu tuo
Venus eradicet caput atque aetatem tuam.
Tecum tam [tute] habeto hoc ubi iuraveris',

praesertim cum codices exhibere videantur:

'Tecum hóc habeto támen, ubi iuráveris'.

*Tam*, quod in Merc. v. 733: 'Tam, si nihil usus esset, iam non dicerem', ex coniectura a Ritschelio scriptum est (codd. *iam*), num recte hoc loco legatur, diiudicari non potest, cum complures antea versus intercidisse appareat.

Sed iam ut ad versus illos, in quibus formulam 'tam gratiast' legimus, redeamus, cum *tam* per se omni oppositionis vi carere meramque esse comparationis particulam viderimus et particulae adversativae vim non usurpare nisi certissimis sub condicionibus, recte iudicasse putabimus eos, qui *tam* in formula illa sic interpretarentur, ut ellipsin statuerent, vel *tam* cum manuum motu pronuntiari vellent; quamquam concedendum est *tam* in vv. Men. quidem et Stichi ex toto sententiarum conexu adversativam quandam notionem induere.

**Trin. 608. 609.**

Quam dudum istuc aut ubi actumst? || Ilico, hic ante ostium!
Tam modo, inquit Praenestinus.



Ex verbis ipsis apparet *tam modo* esse locutionem Praenestinis magis familiarem. Neque tamen putaverim Plautum hoc loco Praenestinorum deridere sermonem, ut in Truc. v. III, 2, 23, cum dicit: 'Facio lucri, ut Praenestinis coniast ciconia'; quia *tam* saepissime apud priscos scriptores eo fungitur munere, ut notionem vocabuli cui additur intendat eique superlativam vim addat.

Bacch. 420: 'Set tu qui pro tam conrumpto dicis caussam filio'. Mil. 321: 'Mirumst lolio victitare te tam vili tritico'. Capt. 146. 258. Trin. 1133. Ps. 822: 'Hoc hic quidem homines tam brevem vitam colunt'. 218. Rud. 1147. 1187. Most. 439. Poen. I, 2, 97. Naev. fr. c. 55. Att. fr. tr. 84. Pac. fr. tr. 36. Eun. 605. Hec. 568. Ad 673. Andr. 651. Andr. 938: 'Ita animus commotust spe gaudio mirando tanto tam repentino hoc bono'. Hec. 568: 'Cum hoc quod leviust tam animo irato tulit'. Poen. I, 1, 81: 'Quom mi obtulisti hoc tam lepidum spectaculum'. Asin. 226: 'Haecine te esse oblitum in ludo qui fuisti tam diu'? Mil. 1081. 1201. Most. 787. Truc. II, 3, 14. Ps. 1044. Bacch. 237. Rud. 446 etc.

Atque hunc particulae usum apud scaenicos poetas fuisse usitatiorem quam apud posterioris aetatis scriptores non mirum esse debet, cum genere sermonis usitato utantur.

Cogitandum est, ubi *tam* hac cum vi positum legitur, eum qui loquatur manibus sublatis gradum quasi ostendere, usque ad quem vocabuli, cui particula additur, notionem intendi vult, et hoc statuendum videtur, *tam* particulae peculiarem sedem esse in sermonibus, ubi alter cum altero sermocinatur et gradus gestu aliquo illustrari potest, cum in rebus enarrandis superlativus adiectivi vel adverbii ponatur.

Inde elucet *tam* in sermone cotidiano etiam cum substantivis et verbis coniungi potuisse, quale legitur in vv. Mil. 11: 'Tam bellatorem Mars se haut ausit dicere'. Mil. 741. Pers. 533: 'Nunquam ego te tam esse matulam credidi'. Merc. 525. Att. fr. tr. 160. cf. Mil. 901.

Pers. 693: 'Quid tam properas'? Bacch. 779. Cas. IV,

4, 24. Cist. I, 1, 56. Most. 890 (?). Afran. fr. c. 124. Haut. 299. 1052. Ph. 998. Ad. 278. 919. Lab. fr. c. 20*).

*Tam* ubi cum verbis componi videtur, non idem significat atque *tantopere*, sed idem valet atque quod nos dicimus *so*: 'quid tam properas'? 'was eilst du so'?

**Trin. 832** sq.

Nam apsque foret te, sat scio in alto
Distraxissent disque tulissent satellites tui miserum foede
Bonaque item omnia una mecum passim caeruleos per campos:
Ita iam quasi canes hau secus navem circumstabant turbine venti.

Draegerus II, 604 hunc locum non recte inter eos refert, quibus *ita* respondeat *quasi* particulae comparativae; *ita* enim hic non cum sequenti *quasi* componitur, sed per se stat et illud est quod in epiphonemate legitur, quale est etiam in Aul. v. 566: 'Quin exta inspicere in sole vel vivo licet: ita is perlucet, quasi laterna Punica'.

Ter modo *ita* cum *quasi* particula compositum**) comparationi inservit, sed ita positum invenitur, ut enuntiatum relativum praecedat:

Merc. 695: 'Sed coquos, quasi in mari solet hortator remiges hortarier, ita hortabatur'. Curc. 511: 'Quasi aquam ferventem frigidam esse, ita vos putatis leges Haut. 65: 'P r o i n d e quasi***) nemo siet, ita attente tute illorum officia fungere'.

In Adelphorum v. 739: 'Ita vitast hominum, quasi cum ludas tesseris, si illud quod maxume opus est iactu non cadit, illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas', *ita* quid sibi velit enuntiato ex *ut* particula suspenso illustratur (cf. Poen.

*) Vell. II, 88, 2: 'Nec minora consequi potuit, sed non tam concupivit'; *tam* hic non cum *concupivit* verbo componendum est, sed enuntiatum aliquod comparativum supplendum est, velut: 'quam consequi potuit'.

**) cf. Eun. 117: 'Coepit — educere, ita uti si esset filia'.

***) cf. *proinde ut* — *ita* Ps. 679, *sicut* — *ita* Asin. 1 sq. *ita ut* — *ita* Cato de r. r. 144, 2, *ita* — *itidem ut* Curc. 690; *sic* — *proinde ut* Amph. 517 *ita ut* — *sic* C. I I, 818, 7 *sicut* — *itidem* Mil. 727.



V, 2, 112. Men. 723). Eiusdem condicionis *ita* esse videtur in Haut. v. 318: 'Ita res est haec nunc quasi cum ....', quamquam certius nihil dici potest, cum oratio interrumpatur.

In vv. Amph. 115 deinde: 'Sed ita adsimulavit se quasi Amphitruo siet', Poen. III, 2, 23. Mil. 1170. Epid. 195 enuntiatum relativum pendet ex verbo adsimulandi cui *ita* pleonastice et proleptice additum est, ut animus magis iam ad ea quae sequantur dirigatur; cuius usus haec exstant exempla:

Ps. 151: 'Nempe ita animati estis, vincere duritia tergi hoc atque me. Ph. 427. Eun. 47. Curc. 667. Ps. 596: Nam mi ita dixit erus meus miles, septumas esse aedis a porta, ubi ille habitet. Trin. 466. Haut. 941. Ph. prol. 4. Hec. 870. Poen. III, 3, 76. St. 167 (?). Mil. 179. Ad. 594. Andr. 572. 883. Truc. II, 6, 48. Hec. 252. Ph. 536. Haut. 667: Nunc ita tempus fert, mihi ut cupiam filium. Bacch. 42: Haec ita me orat sibi qui caveat aliquem ut hominem reperiam. St. 128. 581. Ad. 334. Mil. 795. Men. 855: Ita mihi imperas, ut etc. Ps. 697. Amph. 634. 635. 380. Curc. 217. Men. 723. Capt. 378. 47. 48. Men. 1067. Bacch. 352: Ita feci ut auri quantum vellet sumeret. Capt. 856. Ps. 145. 923. Poen. IV, 2, 87. Tit. fr. c. 56.

Neque alia ratione *sic* positum legitur sequente enuntiato *quasi* particula*) elato in Epid. v. 274 sq.: 'Sic faciundum censeo, quasi tu cupias liberare fidicinam animi gratia, quasique ames vehementer tu illam'.

In Amph. quoque vv. 682 sq.: 'Quid tu me deridiculi gratia sic salutas atque appellas, quasi dudum non videris, quasi qui nunc primum recipias te domum huc ex hostibus'? *quasi* non respondet *sic* particulae, sed *sic* quid sibi velit enuntiatis ex *quasi* coniunctione suspensis certius et accuratius explicatur, ut etiam in Epid. v. 420: 'Ego illic me autem sic adsimulabam quasi stolidum**); quem ad particulae usum con-

*) Draeger II, 604: *Sic* — *quasi* kommt erst seit der klassischen Zeit vor. cf. Lucr. II, 560.

**) *Sic* — *ut si* leguntur in Enn. ann. fr. 90.

feras vv. Rud. 1274: quid, si curram? || censeo || an sic potius placide? Bacch. 1005: sat sic suspectus sum, quom careo noxia (vide ad vv. Asin. 699 et Andr. 804).

*Adeo* particulae *quasi* respondet in Haut. v. 885: 'Gaudere adeo coepit, quasi qui cupiunt nuptias'.

*Tam* sequente particula *quasi* legitur in vv. Curc. 51: 'Tam a me pudicast, quasi soror mea sit', et Men. 1101 Br.: 'Tam quasi me emeris argento, liber servibo tibi' (Ritschl: *tamquam si*). cf. C. I. I, 571, 8: 'Uteique ei conlegio — locus in theatro esset tam quasei sei ludos fecissent'.

*Quasi* quod his locis legitur correptione factum est ex *quam* et *si* (cf. Mil. 482. Truc. II, 3, 20. Amph. 1096). Uno modo loco *quasi* in comparatione cum *tam* compositum simplicis *quam* vice fungi videtur, dico Ad. v. 534, ubi in editionibus scriptum invenitur:

Cum fervit maxume, tam placidum quasi ovem reddo.

Sed cum non solum omnes codices uno excepto F, sed etiam Lactantius *quam* praebeant, iure optimo codicum lectionem retinendam et *quam* scribendum puto. *Quasi* ab editoribus positum videtur, quia 'quam ovem' cum hiatu legatur oportet; sed alias quoque *quam* non eliditur, velut in Amph. v. 473: Illíus quam amat: ígitur demum omnés scient'.

In Afran. illo v. fr. c. 388, ubi Ribbeckius: 'Ferme virgini tam crescit uterus quasi quam gravidae mulieri', in prima editione exhibebat, nunc codicum secutus auctoritatem: 'tam cr. qu. gr. m.' scripsit.

**Andr. prol. 10** sq.

Qui utramvis recte norit, ambas noverit:
Non ita sunt dissimili argumento, sed tamen
Dissimili oratione sunt factae.

Hic primum quidem apud scriptores latinos *ita non* nobis occurrit, quod proprie sic interpretandum est, ut enuntiatum aliquod consecutivum ex iis quae praecedunt suppleatur, velut: 'ut non qui utramvis recte noverit ambas noverit'.



Posteriore demum aetate factum est ut verba *ita non* in formulam abirent.

**Andr. 804. 805.**

Quid vos? quo pacto hic? satine recte? || Nosne? sic:
Ut quimus, aiunt, quando ut volumus non licet.

Quod si recte haec leguntur, post *sic* interpungatur oportet, ita ut *sic* 'nudum sit, et sit significatio languoris cuiusdam et lentitudinis' (Donatus!). *Sic* ita interpretandum est ut Mysis cum loquatur clare oscitet.

Modum quem *sic* significat gestu quodam corporis vel motu illustrari ex his qui apud scaenicos poetas leguntur locis colligas:

Ph. 145: Quid rei gerit? || Sic, tenuiter (vide Donatum!) Eun. 595: Ventulum huic sic facito. Turp. fr. c. 69: Currendum sic est. Asin. 796 sq.: Quod illa autem simulet quasi gravedo profluat, hoc ne sic faciat. Liv. fr. c. 3: Corruit quasi ictus scena — Sicine? — Haud multo secus. Ps. 629. 630: Dum te strenuas, res erit soluta || Vinctam potius sic servavero (Harpax pugno facto pecuniam optime se servaturum declarat). Ph. 210. 211: Voltum contemplamini: em, satine sic est? || Non || Quid si sic? || Propemodum || Quid sic? || Sat est: em istuc serva. Haut. 676. 677: Quid si hoc nunc sic incipiam? Nihil est. Quid, sic? Tantundem egero. At sic opinor. Non postest (cf. vv. Trin. 233 sq. Asin. 453 sq.).

Singularis particulae usus est duobus locis: Andr. 175: Mirabar hoc si sic abiret. Ad. 454: Nisi facient quae illos aequomst, haud sic auferent.

Nonnunquam sic quid sibi velit verbis sequentibus certius circumscribitur.

Rud. 1274: Quid, si curram? — an sic potius placide? Pac. fr. tr. 272: Sic trepidante gradu nititur. Eun. 602: Ego limis specto sic per flabellum clanculum. Bacch. 675: Quid sic hoc digitulis duobus sumebas prioribus? Caec. fr. c. 67: Sic quassante capite tristes incedunt. Men. 657:

Set sic utendam dedi. Mil. 854: Sic propter cados. Att. fr. tr. 634: Id ego semper sic mecum cogito.

*Sic*, quod in Asin. vv. 794 sq. legitur: 'Fors si tussire occepsit, ne sic tussiat ut quoiquam linguam in tussiendo proserat', legitur fortasse ita interpretandum est ut is qui loquitur linguam ipse proserat.

**Hec. 499** sq.

Non credidi edepol adeo inhumanum fore:
Ita nunc is sibi me supplicaturum putat?
Si est ut velit redducere uxorem, licet:
Sin aliost animo, renumeret dotem huc, eat.

*Ita* quid hic sibi velit non facile perspicitur. Neque enim sic intellegi potest ut causalem habeat notionem (vide ad Capt. 92 sq.), neque sic ut pleonastice verbo *putat* additum sit, quia accusativus cum infinitivo praecedit verbo (vide ad vv. Trin. 832 sq.). Quibus adducor ut *itan* scribendum proponam. cf. Ph. 413. Litera *n* facillime a librario omitti potuit, cum vocabulum proximum ab eadem inciperet litera. Ac ne metrum quidem impedimento est quominus sic scribamus, cum satis constet *n* consonantem saepius alia sequente syllabam non producere. cf. *itan tandem* Trin. 642 (cf. Ritschl. prol. p. 138), *haben tu* Trin. 964. Ph. 413. Eun. 1018. *viden scelestus?* Rud. 1093. *egon quid* Most. 556. 633 R.

Aeque in Adelph. vv. 641. 642: 'Non equidem istas (sc. pepuli fores) quod sciam || Ita: nam mirabar quid hic negoti esset tibi', pro *ita* scripserim *itan.*

Nuperrime Langenius (p. 330) de *itane* formula interrogandi disputavit et docuit non iam apud Plautum quidem meram formulam factam esse illam, sed ubi in plena legatur sententia peculiarem ac propriam suam sibi vim servare. Quod ut probet tres hos affert locos, quibus *ita* cum verbo quod sequitur coniungendum censet: Men. 948: 'Ad me face uti deferatur || Itane censes?' Mil. 65: Ne illae sunt fortunae, quae cum isto cubant || Itane aibant tandem?' Mil. 627: Quid



ais tu? Itane tibi ego videor Acheruntícus? tam capularis? tamne tibi diu videor vitam vivere?*)

Equidem persuadere mihi non possum in Mil. illo versu 627 *ita* suam sibi vim vindicare. Pleusicles cum aegre se ferre dixerit quod hospiti, qui ipso sit aetate superior, tantum molestiarum afferat, Periplecomenus miratus interrogat, num se iam mortuum (Acheruntícus!) aut tam capularem putet (ut non iam amoribus delectetur aut curet quid alii agant). *Itane* hoc in loco merae formulae vice fungitur aeque atque in Trin. v. 642: 'Itan tandem**) hanc maiores famam tradiderunt tibi tui, ut virtute eorum anteperta per flagitium perderes'? Nam quod Brixius adnotat *ita* hic significare *in der Absicht*, *darum* (dass du durchbringen solltest), nullo alio loco comprobari potest hanc in particula inesse notionem. Locis quos Langenius attulit, ubi *itane* apud Plautum legitur, hos addo: Poen. III, 3, 47. III, 1, 54. Mil. 844: 'itane vero'? Bacch. 477.

**Hec. 613:**

La. Quíd vis, Pamphile? Pa. Hínc abire mátrem? minime. La. Quíd ita istuc vis.

Quod si locos, quibus *quid ita* invenitur, perlustraveris, videbis nusquam verbum vel praedicatum additum legi; quare in eam inclino sententiam in hoc quem laudo versu *vis* verbum delendum esse, praesertim cum sententia: 'quid ita istuc vis' eis quae praecedunt non satis respondeat; exspectamus: 'quid ita istuc non vis'? Huc accedit quod *vis* in codice Bembino, libro illo vetustissimo, deest. Equidem versum sic restituerim:

Quíd vis, Pamphile. || Hínc abire mátrem? minime || Quíd ita istuc (cf. Haut. 94);

*) In Truc. v. II, 2, 37: erubui mecastor misera propter clamorem tuom || Itane erubuisti? verba 'itane' et 'erubuisti' nota interrogationis disiungit. cf. Merc. 566. 918. Ph. 932.

**) *Itane tandem* leguntur etiam in vv. Ph. 231. 413. 527. Haut. 954.

ita ut efficiatur troch. sept. qualis est versus proximus 614. *Vis* huc irrepsisse videtur ita ut oculi librarii aberrarent et verba *quid vis*, quae in initio versus leguntur, iterum ponerentur, quod haud scio an codicis D, qui antiquitate proxime ad Bembinum accedit, scriptura (*quid ita istuc vis quid*) confirmetur.

Eadem de causa eorum quoque reprobo coniecturas, qui in Ennii versu fr. c. 58 (V. 95): 'Quid ita cum tuo lacerato corpore miser, aut qui te sic tractavere nobis respectantibus' verbum aliquod suppleverunt velut *contuo* vel *(te) contuemur* vel *(iacentem te) tuor*. Equidem Ribbeckium secutus mancum esse versum traditum puto.

In Caecilii illo versu fr. c. 2. Spengelius iam recte sic interpunxit:

Hei perii! — Quid ita? — Numero venit.

Nihilo magis ferri posse elucet quae apud Ritschelium in vv. Ps. V, 2, 2 (1286 F.):

Sét quid hoc? quó modo? quíd ita video ego? ||
Cum corona ebrium Pseudulum tuum;

et Merc. 133:

Quae té malae res íta agitant?

leguntur, praesertim cum *ita*, quod Ritschelius praebet, ne codicum quidem auctoritate confirmetur. Equidem secundum codices in Ps. illo v.: 'Set quid hoc? quo modo? quid tu? (sive te) video ego'? et in Merc. v.: 'Quae te res malae agitant?' (sic B., Scal.) scribendum propono.

**Ph. 974. 975.**

Hisce ego illam dictis ita tibi incensam dabo,
Ut ne restinguas, lacrimis si extillaveris.

Saepius cum apud priscos poetas *ne* vel *ut ne* legantur ubi praecedit particula *ita* in enuntiato primario, multi in eam iverunt sententiam in enuntiatis consecutivis illos si negantur promiscue *ne* et *ut non* posuisse. Sed si locos quibus enuntiatum secundarium ex *ut* coniunctione suspensum est accuratius inspexeris, invenies enuntiata particula illa elata non esse re vera consecutiva, sed inesse in iis ubique consilii notionem*). Cui sententiae certum adiumentum eo paratur quod vocabula quibus *ita* appositum est uno illo quem protuli versu excepto eiusmodi sunt, ut notio eorum intendi non possit, ita ut ea quae sequantur pro sequenti haberi nequeant. Si vero verbi vel vocabuli notio vere intendi potest *ita* particula addita, in enuntiato secundario *ut non* ponitur ac non *ne* vel *ut ne*. Cuius usus explicandi gratia exempla quae apud scaenicos poetas leguntur hic repetam.



Rud. 730: Ita ego te hinc ornatum amittam, tu ipsus te ut non noveris. Mil. 1174: Meum opus ita dabo expolitum, ut inprobare non queas. Men. prol. 19: Ei sunt nati filii gemini duo, ita forma simili pueri, uti mater sua non internosse posset quae mammam dabat. Asin. 25: Ita me obstinate adgressu's, ut non audeam profecto percontanti quin promam omnia. Eun. 868: Ita conturbasti mihi rationes meas ut eam non possim suis ita ut aequom fuerat tradere.

Similis generis haec sunt enuntiata: Truc. II, 3, 26: Ita ego illam — servem itaque parce victitem, ut nulla faxim cis dies paucos siet. Mil. 775: Erus meus ita magnus moechus mulierumst, ut neminem fuisse adaeque neque futurum credam. Ph. 240: Ita sum inritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituere. Ad. 519. Mil. 514: Ita sum coactus ut nesciam, utrum etc. Eun. 881: Non adeo inhumano ingenio sum neque ita imperita ut quid amor valeat nesciam. Amph. 844. Pers. 457. Eun. 240: Itan parasti te, ut spes nulla relicua in te sit tibi? fr. tr. ex inc. inc. fab. 112. Att. fr. tr. 195: Ita de illis merui ut

*) Cuius quidem usus etiam apud posterioris aetatis scriptores exstant exempla. cf. Horaz, epist. II, 3, 151: 'Ita mentitur, sic veris falsa remiscet, Primo ne medium, medio ne discrepet imum' ep. II, 3, 227. I, 13, 12. Cic. ad. fam. VI, 7.

iure haec nunquam miserarent mala cf. Ps. 927: Sic ego illum — in timorem dabo, ipsus sese ut neget eum esse qui siet. Andr. 120: Et voltu — adeo modesto, adeo venusto, ut nihil supra. Andr. 278. Ph. 498. Cato or. J. p. 11.

*Ne* contra sequitur his locis: Most. 389 R.: Advenientem ita patrem faciam tuum, non modo ne intro eat, verum etiam ut fugiat. Capt. 737: Atque hunc me velle dicite ita curarier, nequi deterius huic sit quam quoi pessumest. Haut. 783: Ita misceto ne me admisceas. Trin. 343: Praemostro tibi, ut ita te aliorum miserescat, ne tis alios misereat. Curc. 28: Ita tuum conferto amare, ne tibi sit probro. Capt. 794: Ita itinera insistant nequis in hac platea negoti conferat quicquam sui. Bacch. 224: Adveniat quando vult atque ita ne sit morae. Ph. 768: Ita fugias ne praeter casam (sc. praetereas). Curc. 704: Dum quidem hercle ita iudices ne quisquam a me argentum auferat. Epid. 355: Ita suasi seni atque hanc habui orationem ut — ne tibi eius copia esset*). cf. Cato de r. r. 3. 1.

Quae cum ita sint non dubito in Phormionis illo versu pro *ut ne*, quod ab usu priscorum scriptorum prorsus abhorrere vidimus, *ut non* scribere. In Casinae v. II, 5, 32: 'Non hercle opinor posse: ita uxor acriter tua instat ne mihi detur', enuntiatum secundarium ex verbo *instat* pendet et *ita* illud est quod in epiphonemate poni solet. In Mil. v. 588, ubi Ritschelius, cum codicum scriptura prava esset, coniecturam periclitans: 'Qui adeo admutiletur, ne id quod vidit viderit' (cf. Fl. Br.) [vel 'Qui ita admutilatust'] legendum proposuit, cum *adeo* gradum aliquem altiorem significet, ita ut ea quae sequuntur pro consequenti haberi debeant, Madvigium adv. crit. II p. 9 secutus: 'Quoi id adimatur, ne id' etc. scripserim, quae proxime ad codicum scripturam accedunt.

Liceat mihi hoc loco paucis etiam verbis de enuntiatis

*) In Curc. v. 218 ubi leguntur: 'Quando ita sentio sententiam ut qui me nihili faciat', *nihili* non cum *ut* componendum est, sed cum verbo *faciat*; 'nihili faciat' idem est atque 'contemnat atque parvi faciat', ideobue *ut* positum est. Eiusdem generis est Andr. v. 148.



vere consecutivis, quibus *ita*, *sic*, *tam*, *adeo* particulae praecedunt, disserere.

Usitatissimus is est *ita* particulae usus, e quo modus, quem significat, sic explicatur, ut enuntiatum sequatur *ut* vel *ut non* particulis elatum.

Nonnunquam posita inveniuntur: *ita* — *ut qui*:

Asin. 505: 'An ita tu's animata, ut qui expers matris imperii sies'? Curc. 218. Andr. 148. cf. Capt. 737 sq.: 'Hunc me velle dicite ita curarier nequi deterius huic sit quam' etc.

Notandum vero videtur illud quod *sic* rarissime sequente enuntiato consecutivo legitur.

Trin. 233 sq.: 'De hac re mihi satis hau liquet: nisi hoc sic faciam, opinor, ut utramque rem semul exputem', ubi *sic* proprie ita interpretandum est, ut is qui loquitur digitum proserat (cf. Haut. vv. 676. 677, quos ad Andr. vv. 804. 805 laudavi).

Similiter adhibetur *sic* in vv. Asin. 455, Ps. 927, Asin. 794, Most. III, 2, 35 (Lor.) (Cato de r. r. 161). cf. Hor. ep. I, 7, 69.

*Tam* quoque sequente *ut* consecutivo ter modo scriptum legitur:

Rud. 756: 'Ni erit tam sincerum ut quivis dicat ampullarius' etc. Hec. 108. Pomp. fr. c. 4.

Quod si subiectum enuntiati secundarii idem est atque primarii post *tam* positum invenitur *qui* relativum.

Trin. 954: 'An ille tam stultus esset qui mihi crederet'. Truc. II, 4, 4. Curc. 284. Amph. 985. Haut. 912. Pers. 583. cf. Cato. J. 24. 62.

Si sententia et enuntiati primarii et secundarii negatur *quin* (= *qui non*, *quae non*, *quod non*, *ut non*) particulae locus est post *ita*, *tam*, *adeo*.

Ad. 855: 'Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit quin res aetas usus semper aliquid adportet novi'. Ad. 257.

Ad. 221: 'Ego nunquam adeo astutus fui quin quidquid possem mallem auferre potius in praesentia'.

Asin. 944: 'Nec quisquamst tam ingenio duro nec tam

firmo pectore quin — sibi faciat bene. Capt. 408. Mil. 741. Haut. 68. Att. fr. tr. 337. Aul. 791.

Merc. 361 sq.: 'Nil potest clam illum haberi, nec sacrum nec tam profanum quicquamst, quin ibi ilico adsit'.

Haut. 805: 'Nulla est tam facilis res, quin difficilis siet'. cf. Lucr. II, 1028.

Pers. 690: 'Nil mihi tam parvist quin me id pigeat perdere'.

Haut. 675: 'Nihil tam difficile est quin quaerendo investigari possiet'.

Uno modo apud Attium fr. tr. 683 loco *quod non* pro *quin* legitur: 'Nullum est ingenium tantum neque cor tam ferum quod non labascat lingua, mitescat malo'. cf. Lucr. II, 1028.

Locorum quos tractavi conspectum hunc appono:

Most.

341

62

Verlag von S. Calvary & Co. in Berlin.

# Calvary's philologische und archaeologische Bibliothek.

Sammlung neuer Ausgaben älterer classischer Hülfsbücher zum Studium der Philologie in jährlichen Serien von ca. 16 Bänden. Subscriptionspreis für den Band 1 M. 50 Pf Einzelpreis 2 Mark. Jeder Band wird einzeln abgegeben.

Bisher erschienen:

## I. Serie. 15 Bände und 1 Supplementband.

Band 1: **Wolf, F. A.**, **Prolegomena ad Homerum sive de operum Homericorum prisca et genuina forma variisque mutationibus et probabili ratione emendandi.** Cum notis ineditis Immanuelis Bekkeri. Editio secunda cui accedunt partis secundae prolegomenorum quae supersunt ex Wolfii manuscriptis eruta. Einzelpreis 2 Mark.

Band 2—6: **Müller, K. O.**, **Kunstarchaeologische Werke.** Erste Gesammtausgabe 5 Bände. Einzelpreis 10 Mark.

Band 7–15: **Niebuhr, B. G.**, **Römische Geschichte.** Neue Ausgabe von M. Isler. 3 Bände in 9 Theilen. Einzelpreis (einschliesslich des Registerbandes) 18 Mark.

Supplementband: **Register zu Niebuhr's Römischer Geschichte.**

Der Supplementband wird den Abnehmern der ersten Serie mit 1 M. 50 Pf. berechnet. Das Register ist zu allen Ausgaben des Werkes passend und kostet einzeln 2 M.

## II. Serie. 18 Bände.

Band 16—20: **Dobree, P. [illegible] versaria critica.** Editio in Germania prima cum praefatione Guilelmi Wagn[illegible] Bände in 6 Theilen. Einzelpreis 12 Mark.

Band 21—24: **Bentley [illegible], Dissertation upon the letters of Phalaris and other critical works** with i[illegible]duction and notes by W. Wagner. Ein Band in 4 Theilen Einzelpreis 8 Mark.

Band 25: **Dobree, P.P.**, **Observationes Aristophaneae.** Edidit illustravit G. Wagner. Einzelpreis 1 M. 50 Pf.

Band 26—31, 33 u. 48: **Humboldt, W. v.**, **Ueber die Verschiedenheit des menschlichen Sprachbaues** und ihren Einfluss auf die Entwickelung des Menschengeschlechts, mit erläuternden Anmerkungen und Excursen, sowie als Einleitung: **Wilh. v. Humboldt und die Sprachwissenschaft,** herausgegeben und erläutert von A. F. Pott. 2. Aufl. Mit Nachträgen von A. F. Pott und einem systematischen und alphabetischen Register von A. Vanicek. 2 Bände in 8 Theilen. Einzelpreis 16 Mark.

## III. Serie. 15 Bände und ein Supplementband.

Band 32 u. 43: **Hudemann, E. E.**, **Geschichte des römischen Postwesens während der Kaiserzeit.** Zweite durch Nachträge, eine Inhalts-Angabe, ein Register und eine Strassenkarte des römischen Reiches vermehrte Auflage. Einzelpreis 4 Mark.

Band 34—42: **Becker, A. W.**, **Charikles.** Bilder altgriechischer Sitte, zur genaueren Kenntniss des griechischen Privatlebens. Neu bearbeitet von H. Göll. 3 Bände in 9 Theilen. Einzelpreis 18 Mark.

Band 44—47: **Rangabé, A. R.**, **Précis d'une histoire de la Littérature néo-hellénique** 4 Bde. Einzelpreis 8 Mark.

Supplementband: **Müller, Lucian**, **Friedrich Ritschl.** Eine wissenschaftliche Biographie. 2. Aufl. Einzelpreis 3 Mark.

## IV. Serie. ca. 16 Bände.

Band 49 ff. **Reisig, K.**, **Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft.** Neu bearbeitet von H. Hagen. ca. 8 Bände.

Band 56 ff. **Meier, M. H. E.**, und **G. F. Schoemann**, **Der attische Process.** Neu bearbeitet von J. H. Lipsius. ca. 8 Bände.

## V. Serie. ca. 16 Bände.

Band 62 ff. **Becker, A. W.**, **Gallus oder römische Scenen aus der Zeit Augusts.** Zur genaueren Kenntniss des römischen Privatlebens. Neu bearb. von H. Göll. ca. 8 Bände.

Band 70 ff. **Röper G.**, **Geschichte der griechischen Litteratur.** ca. 8 Bände.

Ueber die Fortsetzung behalten wir uns Mittheilung vor.

Druck von J. Dräger's Buchdruckerei (C. Feicht) in Berlin.